

Jahresbericht

des

Königlichen Gymnasiums

zu

Rastenburg,

womit

zur Prüfung der Schüler,

die am 29. September

Vormittags von 8—12 und Nachmittags von 2—5 Uhr

gehalten werden soll,

und

zu dem Schul-Aktus,

der am 30. September

um 10 Uhr

das Sommersemester schließen wird,

im Namen des Lehrer-Collegiums

ergebenst einladet


der

Direktor **Techow.**

Inhalt:



Rastenburg, 1864.
Druck der A. Haberland'schen Officin.



De prosopographia Aristophanea. Part. I.

Thucydidem etsi non solum rerum explicatorem prudentem severum gravem [1]) eundemque in re publica versatum,[2]) verum etiam sincerum et grandem esse rerum gestarum pronuntiatorem [3]) nemo non concedit,[4]) tamen tantum abest, ut illustrandae atque absolvendae satisfecerit suae aetatis memoriae, ut veterum scriptorum easdem cum ipso res attingentium libros haud ita paucos temporum iniquitate vehementer doleamus deletos. Nimirum unius hominis quamvis egregii ingenium quum finibus circumscriptum videtur arctioribus, quam quod universae gentis indolem consilia res gestas perspicere possit atque animo complecti [5]), (siquidem vitae non magis publicae quam privatae solidam expressamque effigiem expectas,) tum infirmius, quam quod vitiis naturae humanae insitis sic careat, ut iudicio prorsus abstineat iniquo. Illa vero aetate quam diversa hominum studia,[6]) quanta invidia, quanta vaniloquentia superbia crudelitas [7])! Adeone Thucydidem summo in odio gravissumisque simultatibus, propter quae ipse viginti annos degeret exul [8]), praestitisse ceteris arbitrare, ut tamquam aliquis ex coelestium numero cupiditatibus vexatus non videretur? Nobis vero diligentissume rem pensitantibus satis probatur eorum opinio, qui Thucydidem non omnibus adversariorum iniuriis

---

[1]) Cicer. orat. 9, 31. — [2]) id. de orat. II. 13, 56. — [3]) id. Brut. 83, 287. — [4]) Clarissumos antiquitatis et philosophos et rhetores de Thucydide sic fere iudicasse prodidit Dionysius Halicarn. ed. Fr. Sylburg p. 137 *Κανόνα τῆς ἱστορικῆς πραγματείας ἐκεῖνον ὑποτίθενται τὸν ἄνδρα καὶ τῆς περὶ τοὺς πολιτικοὺς λόγους δεινότητος ὅρον.* Idque iudicium quam non displiceat hac aetate viris doctis, declaravit nuper J. Classen in iis, quae praefatus est ad Thucyd. pag. XLIX. seq. — [5]) Cic. ep. ad. Attic XII. 1. 18. — [6]) Plut. Pericl. 11 *ἡ δὲ ἐκείνων ἅμιλλα καὶ φιλοτιμία τῶν ἀνδρῶν βαθυτάτην τομὴν τεμοῦσα τῆς πόλεως τὸ μὲν δῆμον, τὸ δ' ὀλίγους ἐποίησε καλεῖσθαι.* Thucyd. 6, 13. — [7]) Thucyd. 3, 81 — 88, quem locum sententiis unum omnium creberrumum nec sine scriptoris admiratione nec sine taedio illorum temporum leges. — [8]) Thucydid. 5, 26.

abstinuisse contendant. Idque quum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur. Ut enim a testibus ordiamur veteribus, haec scripsit anonymus vitae Thucydideae enarrator:[1]) *γενόμενος δὲ φυγὰς ὁ Θουκυδίδης ἐσχόλαζε τῇ συγγραφῇ τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου, καὶ διὰ τοῦτο δοκεῖ πολλὰ χαρίζεσθαι μὲν Λακεδαιμονίοις, κατηγορεῖν δὲ Ἀθηναίων τὴν τυραννίδα καὶ πλεονεξίαν. οὐ γὰρ καιρὸς αὐτῷ κατειπεῖν Ἀθηναίων ἐγένετο. Κορινθίων κατηγορούντων ἢ Λακεδαιμονίων μεμφομένων ἢ Μιτυληναίων αἰτιωμένων, πολὺς ἐν τοῖς ἐγκλήμασι τοῖς Ἀττικοῖς ἐρρύη, καὶ τὰς μὲν νίκας τὰς Λακωνικὰς ἐξῇρε τῷ λόγῳ, τὰς δὲ συμφορὰς ηὔξησε τὰς Ἀττικάς.* Et eiusmodi opprobria non ab uno quodam veterum, sed a pluribus circumferebantur, id quod testificatur Flav. Josephus:[2]) *Πολλὰ δὲ καὶ Θουκυδίδης ὡς ψευδόμενος ὑπό τινων κατηγορεῖται, καίτοι δοκῶν ἀκριβεστάτην κατ᾽ αὐτὸν ἱστορίαν συγγράφειν.* Quo iudicio hominis cum Apione controversias habentis quid gravius inveniri potest? Neque enim multum refert eorum qui Thucydidem accusabant novisse nomina, quae quidem Apion, grammaticus doctissumus idemque Josephi adversarius gravissumus nec ignoraret nec improbaret. Ac si quid in re aperta opus est pluribus testimoniis, facile exaggerantur Marcellini[3]) aliorumque opera.[4] Nihilominus recentiores de hac re iudices adeo inter se digladiantur Thucydidisque de vita oratione exponere ea consueverunt, ut ne cladis quidem illius Amphipolitanae caussam ad eum referant,[5]) nedum scriptorem errorum convincere audeant. Verum nos ut multis locis ita in hac caussa Grote[6]) Britanni et acutissimi Droysen opinioni plurumum tribuentes, Thucydidis quum iudicium singulis locis iniquum putamus castigandum tum maiorem parvarum rerum curam diligentiamque desideramus. Namque fac eum omni factionum vel studio vel odio liberum fuisse, moleste utique feres scriptorum aequalium aut iacturam aut taciturnitatem raraque alius generis complementa, quod quum ille *κτῆμα ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν* conderet,[7]) non tam singulis quibusvis recensendis, quae scire nostra multum interest, quam caussis et exardescentis et multos annos

---

[1]) §. 4. — [2]) Joseph. *περὶ ἀρχαιότητος Ἰουδαίων κατὰ Ἀπίωνος.* — [3]) Huius vitae discrepantias ac lacunas uno attingere verbo supervacaneum videtur cf. Grauert. Mus. Rhen. 1827 p. 1725 sequ. Certe quidem in testimoniorum copia haud ita parva inde quoque aliquid accedit ad confirmandam nostram opinionem praesidi. — [4]) Schol. ad. Vesp. 947 Thucydidem in Thracia imperatorem negligentiae damnatum recte commemorat idemque perperam illum una cum Cleone res gessisse prodidit, immo vero a Cleone perhibetur proditonis accusatus. cf. Marcell. §. 55 et anonymum apud Poppo proleg. ad Thucyd. I. p. 339. De genere dicendi valde ineptit Dionysius Hall. — [5]) C. G. Krueger Untersuchungen über das Leben des Thucydides p. 44 sq. — de Sybel Historische Zeitschrift, fünfter Jahrgang viertes Heft p. 289. seq. — [6]) Geschichte Griechenlands nach der II. Auflage aus dem Englischen übertragen von W. Meissner T. III. p. 669. Droysen Aristoph. Ritter 296. — [7]) Thucyd. I, 22.

ardentis belli Peloponnesiaci perspiciendis ponendisque in illustri quodam monumento consulebat.[1])

Haec autem, quoniam in unius hominis nec arbitrio nec virtutibus ingeni nec fide videtur acquiescendum exploranti vetera, non potuimus quin ita moneremus, ut quo in honore Aristophanes, poëta Thucydidi aequalis, esse deberet non magis apud litterarum et artium existumatores quam apud rerum scriptores intellegeretur. Namque ut easdem saepe res cum Thucydide attingit quas confirmet, ita multa adfert quae ille non cum posterorum gratia tamquam leve ἀκρόαμα respuit.[2]) Quid, quod ab Aristophane modo non totus pendet Theopompus, quatenus hanc rem ex fragmentis diiudicari licet,[3]) et Plutarchus in iis ubi ἱστορίαν ἤθους καὶ τρόπου παρέδωκεν eamque passim versiculis poetas comicos resipientibus adornavit,[4]) quamvis ceteroquin magna sui iudici laude floreat?[5]) Hinc multa mutuatus est Diodorus Siculus,[6]) hinc pars scholiastarum haud ita parva,[7]) quibus omnibus quaerentes de belli Peloponnesiaci aetate egere non possumus, quippe quum alios scriptores, excepto Thucydide, suam huic rei opem nisi dubiam ferentes non reperias. A recentioribus vero quantopere Aristophanis vestigia premantur, fusius ac copiosius probari neutiquam oportet.[8]) Sed quia Aristophanes fabulis docendis iisque comicis florebat, et ipsius et si qui fabulas excerpere soliti sint auctoritati omne genus cautionis est adhibendum cavendumque, ne quae haud ita raro per lusum ac lasciviam dicuntur, ea rei seriae loco ponant vel nimii laudis praecones huius poëtae vel rerum iudices parum cauti facetiarumque illecebris nimis indulgentes. Ac quum iam Thucydides I. 11 τοῖς ἔργοις scite distinxerit τὴν φήμην καὶ τὸν περὶ (τῶν Τρωικῶν) διὰ τοὺς ποιητὰς λόγον κατεσχηκότα idemque I. 10 et 21 sibi constet de poësi epica, vide, quid de poësi comica censendum putes. In magna vero doctorum virorum haesitatione[9]) nostram qualemcumque operam curamque collocare statuimus

---

[1]) Ita accipiendum putamus ingeniosissumi O. Mueller praeconium Thucydidis Gr. Litt. Gesch. II. p. 352 multorumque aliorum. — [2]) Thucyd. 1. 21. — [3]) Confirmat hanc nostram opinionem maledicentissumi' nomen, quod audivit a Cornel. Nepote Alcib. XI. Hinc non temere conicere nobis videmur, Theopompum vestigia poëtarum comicorum prementem multis iudicem extitisse iniquum: at Alcibiadem, postquam is rediit in gratiam cum vulgo Atheniensium, nec poetae videntur cavillati esse nec Theopompus, id quod de hoc Cornelius l. l. memoriae prodidit. — [4]) Quae poëtae obiurgandi caussa dicuntur a Plutarcho t. IX p. 387—92 ed. Reisk. eius et eximiam quandam Aristophanis curam declarant, nec prohibent quominus, si occasio tulerit, ad eum tamquam ad fontem identidem recurrerit. — [5]) Heeren de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum. — [6]) Grote IV. p. 567. — [7]) cf. περὶ κωμῳδίας cod. Paris. ed. Cramer vol. I. p. 5. Hesych. v. Κένταυρος. Theod. Kock adnot: ad Nub. v. 37. — [8]) cf. K. Schmidt Gesch. der Pädagog. vol. I. p. 235 sq. omnesque, qui de vita Atheniensium disseruerunt. — [9]) Unus isque mutilus libellus Halberstma Daventriensis: Specimen litterarium continens priorem partem prosopographiae Aristophaneae — rei gravitati haudquaquam satisfacit.

in exploranda ratione, quam Aristophanes in describendis suae aetatis hominibus eorumque ingenio ac moribus secutus sit, quum superstitiosae religioni tum imprudentiae obviam euntes: ut examinantes civilium illarum turbarum memoriam fidemque scriptorum desiderantes, spreta omni negligentia vel securitate et poëtae fabulis iterum atque saepius retractatis, sincera sic secernant a fucatis, ut offensionibus publicis calumniisque, quas a poëtis non neglectas, immo mirum in modum auctas constat,[1]) purgent res atque consilia hominum valde de rei publicae Atheniensium salute tum inter se dissidentium.

Cuius consili temeritatem si ab aliis at certe a Theodoro Bergk, docto illo et intellegenti comoediae antiquae existumatore, improbari videmus. Is enim sic:[2]) Neque enim, id quod nonnullos video unice spectasse, indagare studui, qua ratione poëta in argumento et inveniendo et componendo sit usus, quoniam eiusmodi quaestiones in tanta antiquae comoediae licentia tantaque argumentorum copia ac varietate, fallaces prorsus sunt atque inutiles. Neque enim coniectando assequi ullo modo poteris, quibus legibus quisque se adstrinxerit poëta. Idemque alio loco:[3]) quemadmodum antiqua Attica comoedia omnem illam infinitam paene vim atque copiam rerum et divinarum et humanarum complectitur, ita etiam una quaeque fabula varietate ac diversitate rerum insignis est, et si verum fateri volumus, singulae comoediae non tam in singulis rebus versantur, quam in una quaque fabula omnis Atheniensium et publica et privata vita tanquam in minore quodam mundo repraesentatur. At quemadmodum illa aetas, quae comoediam antiquam et florescentem et senescentem vidit, variis concussa fuit motibus et mobili transitu agitata, ita quovis fere anno unum aliquod praeter cetera eminuit, quod aut propter novitatem insolentiamve aut propter gravitatem omnium in se convertit oculos: hoc igitur potissimum a comicis poëtis suo quodque tempore praecipue illustratum esse, ita ut reliqua recederent, non mirum videbitur ei, qui cogitaverit, comicos poëtas multo magis quam omnes alios, praesentiae adstrictos suum potissimum populum, suam civitatem, suum saeculum spectare. — Inde quantum Aristophanes ad imaginem vitae Atheniensium adumbrandam contulerit, quis est quin videat? Quaestiones autem de ratione, qua in argumento et inveniendo et componendo sit usus, non propter argumentorum varietatem, opinor, sunt difficiles prorsusque fallaces, sed propter insidias iocorum inspersorum imaginesque quas poëta per lusum faciebat distortissumas. Quae imagines etsi non tam naturae pravitatem eorum qui notantur, quam poëtae festivitatem ostendunt, tamen Bergk desperavit et rite resecandis iis partibus quae abundent, et cogendis in ordinem iis quae sint distortae. Quidni autem potest caelum ad illud negotium necessiarum edolari? Thucydides Xenophon Plutarchus, Platonis

---

[1]) K. Lehrs Populäre Aufsätze aus dem Alterthum p. 208. — [2]) Fragm. poët. comoediae antiq. coll. Augustus Meineke tom. II. pars II. p. 893 — [3]) ibid. pag. 894.

Aristotelis oratorum Graecorum libelli quidam, multorum scriptorum fragmenta Romanorum iudicia scholiastae, alii nonne est, ubi et materiam suppeditent et eius adornandae rationem ac viam aperiant? Non continuo si hac vel plurumorum opera modo lacunosa modo narratiunculas leves contemnenti τῶν ῥακίων καὶ τῶν φθειρῶν i. e. τῶν ἰδιωτῶν ἀνθρωπίσκων[1]) virtutes vitiave metiri non licet, idcirco quid οἱ Ἡρακλέεις[2]) ab Aristophane passi sint obscurum delitescit. Certe quidem temporum iniuria alicubi sinceram quandam servavit memoriam eorum, qui vel nominis vel rerum gestarum nobilitate praeter ceteros florerent. Atqui inde spinosum quaerendi genus temptantes per analogiam quandam, quid iudicandum videatur de illis inferioris notae hominibus, nos indagaturus non plane desperamus.

Verum enim vero conamur tenues grandia. Namque quum difficile sit, certis insistentem vestigiis de factionibus explorare, quid ex vero positum sit, quid commenticium fictumque, praesertim quum raris recti iudici adminiculis nitare: tum multo difficilius historia, luce illa veritatis, deficiente, portenta quae poëtae risum captantes ex ingeni sui indole finxerunt, ad speciam vere humanam revocare non repudiatis ambiguae saepe fidei testimoniis, resecare quae abundent, quae desint ex disperso adnotationis genere explere, denique armariis memoriae sacris inserere, ita ut imaginum non mendacium similia appareant. Neque quum ex scholis cantilenae aequo maiorem vim ad audientium vel legentium animos exhibere soleant omnesque fere viri docti Aristophanem pro idoneo rerum iudice habere consueverint, nihil inde videtur accedere huic quaestioni difficultatis argumentorumque ponderi extenuationis. Quamquam in re ardua atque proclivi periclitantibus non videtur verendum, ne operis manci reprehensionem subeant, modo pro suis quisque viribus „studeat optatam contingere metam." Et quo latius falsa de Aristophanis comoediis existumatio vagatur, quandoquidem nostrates modo non ad unum omnes plena illa facetiarum ioca resque a poëta in maius auctas parum cauti in usum historiae adsciscere non dubitant, eo magis fore confidimus, ut iudices aequi hoc nostrum consilium comprobent ad labefactandam illam iudicandi rationem spectans, quum pro virium tenuitate adspirare nobis non liceat ad evertendam.

Ne tamen nostratibus conviciati esse videamur temere, mentio est inicienda libelli de demagogis scripti a Michaelis,[3]) praeceptore publico eodemque in universitate Albertina privatim docente. Qui quam oscitanter quantaque omnium rerum quae ad tale negotium necessariae existumantur incuria ad Aristophanis comoedias accesserit, non operae pretium videtur pluribus exponere. Quamquam haudscio an de industria imprimis Cleoni demagogo maledicere, quam quaerere considerati ac sinceri iudici laudem

---

[1]) Aristoph. pac. parabas. v. 724—36. — [2]) ibid. — [3]) Michaelis: de demagogis Atheniensium, post mortem Periclis usque ad XXX. tyrannorum imperium p. 17. seq.

malaerit. Illud vero affirmare ausim, nihil plane in libro inesse, unde aliquis ad nostram quaestionem fructus redundaverit. Quare ad eos deinceps nos convertamus, qui quamquam ioca expromendi, calumniandi castigandique consilium a poëtis comicis non alienum fuisse suo jure affirmant tamen disserentes de poëtis philosophorum moralium, quos dicunt, nimiam quandam similitudinem exhibent. Quorum praestantissumus Augustus Meineke quid de hac re statuerit, hisce ex locis intellegas velim:[1] „Aucta mirum in modum popularis imperii libertate et succrescente in dies nequissimorum hominum, qui rei publicae statum labefactarent, proventu, fieri non potuit quin totis comoedia insurgeret viribus et quidlibet audendi potestate, ipsis legibus ei concessa, impune uteretur. Neque vero in notandis lacessendisque turbulentis et seditiosis civibus sese continuit poësis comica: sed quum hoc sibi propositum haberet, ut cives ad omnis honestatis studium amplectendum excitaret, quidquid ei, quae optimi cuiusque animo insidebat, virtutis speciei officere earumque rerum, in quibus summa graeci ingenii vis elucebat, ruinam ducere videbatur, audacter aggressa omnemque divinarum humanarumque rerum orbem liberrime pervagata est." De Platone poëta idem sic iudicat:[2] „Maledicentiae crimen quo notatur Plato comicus a Dione Chrysost. Orat. XXXIII. p. 4. Rsk. non nisi ad corruptos saeculi sui mores et improbos qui rempublicam illis temporibus gravissime affligebant cives pertinuisse videtur. Contra excellentium civium velut Themistoclis memoriam non sine magno quodam animi motu et desiderio recolit, Plutarch. Them. p. 235 cor." Iam tertio errantium generi quodammodo est adscribendus C. F. Hermann: is enim ubi nequivit aliam cognoscendae Atheniensium vitae lucem admovere, farraginem in area compositam Aristophanea[3]) degustare, quam omni maluit libri sui pabulo carere.

Horum alius aliter videtur peccasse vel potius non satis perspexisse comoediae antiquae vim atque indolem iisque non est, cur plures adnumeremus. Neque ut locus sit fabellae non minus lepidae quam ad discendum fructuosae, quaestionem eorum opera percensenda morabimur, qui de comoediae Atticae indole partim nugati partim vera suspicati sunt. Ceterum maxume digna commemoratione invenies apud hominem sollertissumum Grote.[4]) Ipsi vero cur doctissumorum virorum iudicio refragandum arbitremur, infra apparebit: interim illud Horati decantamus:

Aut prodesse volunt aut delectare poëtae
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae,

quum poëtarum et alia et delectandi studium a multis iisque Aristophanem idoneum rerum iudicem existumantibus videatur nescio quo pacto neglectum. Iam vero ut ad

---

[1]) Historia critica comicorum Graecorum scripsit Aug. Meineke pag. 39. — [2]) ibid. pag. 165. — [3]) Griechische Staatsalterthümer 4. Aufl. pag. 202 cum adnot 7. 465, 468, 477 seq. de Cleonis principatu sordidaque adulatione unum premit Aristophanem. — [4]) IV, 560.

fabellam redeat oratio, sciscitanti apud Aristophanem [1]) Mercurio, sitne sapientissumus ille Cratinus in vivis, respondet Trygaeus: *ἀπέθανεν, ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον . . . οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο ἰδὼν πίθον καταγνύμενον ὄινου πλέων.* Hanc mortem in Olymp. LXXXIX, 2 incidere probabiliter docuit Meineke: [2]) eodemque anno a Lacedaemoniis in Atticam expeditionem esse factam videtur necesse. Quam tandem, historici, expeditionem nuncupabitis? Eia! Quid cunctamini? Non inveniunt idoneum rei testem: scilicet, nam et illo loco expeditio vino illa quidem infesta ab Aristophane Cratini vinolentiam lepide cavillante est ficta, et incerto loco simili de caussa *ταξίαρχος τῆς Οἰνηίδος φυλῆς.* [3]) Etiam insigniorem de Eupolide eerrorem [4]) iam ab Eratosthene redargutum memorat Cicero. [5]) — Quis enim non dixit *Εὔπολιν, τὸν τῆς ἀρχαίας,* ab Alcibiade navigante in Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes: adfert enim quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcirco Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur? [6]) — Neque mehercule aliam ob caussam ista commemoravimus, quam ut prosopographiae Aristophaneae disquisitio quam sit necessaria intellegatur, quum is aeque ac ceteri illius aetatis poëtae comici vera et hominum et rerum natura quasi involucris quibusdam ludicris tecta, mirum quantum posteros deceperit.

Ita postquam ad prosopographiam ipsam aditus est patefactus, primo loco qualis sit imago ab Aristophane adumbrata Socratis Cleonis Euripidis videbimus. Qui quum principem quendam inter cives suos locum obtinerent omniumque versarentur in ore, ut frequenti et philosophorum et rhetorum gaudebant commemoratione ita ab Aristophane sua quisque fabula est carptus, Socrates in Nubibus, Cleo in Equitibus, Euripides in Ranis. Quia autem non est poëtae enarrare vitam personarum fabulae, sed naturam certis describere signis, quae sicuti notae quaedam naturae sunt attributa, factum est, ut quae isto modo de Socrate innotuerunt, paucis contineantur. Nusquam

---

1) Pax 701—705. — 2) Meineke historia crit. p. 44. — 3) De hoc Cratini munere militari cf. Suidae lexic. v. *Ἐπειοῦ δειλότερος* et Meineke h. c. p. 46, cuius hoc loco severitatem non minus miramur, quam Beckii cf. Aristophanes ed. a Philippo Ivernizio vol. VI. p. 501. — 4) Scholia Graeca in Aristophanem ed. Fr. Duebner pag. XIX. *Ἐπειδὴ Εὔπολις εἰς Ἀλκιβιάδην ὕβρισεν ὄντα τότε στρατηγὸν καὶ διελευδορήσατο αὐτῷ, ὢν τότε Ἀλκιβιάδης ἐμπαράσκευος πρὸς πόλεμον ὡς ναυμαχίας προσδοκωμένης, κελεύει τοῖς στρατιώταις συλλαβεῖν αὐτόν. οἱ δὲ συλλαμβάνοντες αὐτὸν ὡς μέν τινες φασὶν παντελῶς ἀπέπνιξαν ἀυτὸν εἰς τὴν θάλασσαν, ὡς δὲ ἄλλοι, δεδεμένον αὐτόν σχοίνῳ ἀνῆγόν τε καὶ κατῆγον εἰς τὴν θάλασσαν, οὐ μέντοι καὶ ἀπέπνιξαν παντελῶς, τοῦ Ἀλκιβιάδου λέγοντος βάπτε με σὺ θυμέλαις ἐγὼ δέ σε ἁλμυραῖς ὕδασι κατακλύσω.* Hic videri licet fidem scholiastarum: multoque magis turbata est rerum memoria equit. 55. aliisque locis. — 5) Cicero epist. ad Attic VI. 1. 18. — 6) Pluribus de hoc errorum fonte egregie, ut adsolet, exposuit. Carol. Lehrs Populäre Aufsätze aus dem Alterthum p. 208—212.

fit mentio nec patris, nec matris, nec uxoris, nec liberorum, nec praeceptorum, nisi forte poëta v. 773 et patrem et Socratem ipsum artem sculpendi et v. 137 matrem profiteri esse solitam artem obstetriciam *αἰνιγματικῶς* indicavit. Certe quidem scholiastae illos versus ita interpretantur nec non addunt Sophronisci patris nomen. Amici autem vel discipuli etsi in scena conspicui erant verbaque fundebant, tamen eas duntaxat sustinebant partes, ut risui essent spectantesque cachinnos moverent.[1]) Hinc qualis fuerit magister, cuius discipulos omnes poëta riduculos finxerit, suspicari iam licet. Adeo non erat satis Socrati, contemptis diis gentilibus ac patriis, Nubes nuncupare deas iisque sacra facere,[2]) ut ipse *φροντιςτηρίῳ* illo sublatus[3]) plerumque sublimis in aere versaretur, utpote qui res terrenas tamquam deorum numini parentes inanesque sperneret.[4]) Quid igitur mirum, quod non solum ipse pallidus sine cinctu discalceatus in publicum prodibat,[5]) verum etiam discipulis vestitus valetudinis commerci publici curam eximebat?[6]) Ac quum haec miri capitis suspicionem commovent, tum multo etiam magis illa. In summa humanarum rerum contemptione non abstinebat Socrates furto,[7]) a discipulis mercedem exigebat,[8]) indulgebat amori impuro.[9]) Adde huc, quod qui pallidus multis locis vocatur, idem in scenam nitidus bene curata cute producebatur ridebaturque tamquam Epicuri de grege porcus. Quod etsi non diserte commemoratur ab Aristophane, pertinet tamen ad Socratis personam,[10]) quae non calvitiem[11]) solum sed ceterum quoque philosophi habitum sine dubio ostendebat.[12]) Atque hanc quidem adumbravit poëta philosophi imaginem.

---

[1]) Nub. 135—221. — [2]) 248, 263 et passim. — [3]) 1487. — [4]) Nub. 228 et Suidas v. *ὦ ᾽φήμερε*. — [5]) 103, 186 — [6]) 120, 198, 498. — [7]) 179, sive vulgat. *θοἰμάτιον* probas sive cum Hermanno *θυμάτιον* legere mavis, non conceditur furti crimen eruere, licet schol. ad v. 96. Socrati furta ab Aristophane obiecta negare videatur: ceterum cf. 497, 856, 1498. Quibus quum locis omnibus, quod pallium surripuerit Socrates accusetur, splendidissuma illa Hermanni coniectura non satisfacit. Alia quoque loci detrimenta recte notantur cf. Kock: itaque placet rescribi: *κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτῃ λαβὼν τοὺς ἐκ παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο* quos versus sic interpretamur: mathematica captis exercitantium in gymnasio — *τοὺς ἐκ παλαίστρας* cf. Krueger Gr. Gr. 50, 5, 5 — animis pallium surripuit. Eaque optume conveniunt schol. 179. *φησὶν ὅτι ὀβελίσκον κάμψας, καὶ διαβήτου σχῆμα διαλαβὼν, πάντας πρός αὑτὸν ἐπαγόμενος, ὑφεῖλε τὸ ἱμάτιον.* Quodsi vero Hermanni correctio praefertur, non inepte loci damnum erit resarsum, si pro *ἐκ τῆς παλαίστρας* scribetur *ἐκδὺς παλαίστρας θυμάτιον ὑφείλετο* — reliquens gymnasium popanum surripuit: — idque propius videtur accedere ad Strepsiadis interrogationem 176. *τί οὖν πρὸς τἄλφιτ᾽ ἐπαλαμήσατο;* — [8]) 98, 1146. — [9]) Arg. Nub. II. *ηὐλαβοῦντο γὰρ ὅτι πολλοὺς εἶχεν ἐραστὰς, καὶ μάλιςτα τοὺς περὶ ᾽Αλκιβιάδην.* — Schol. 178. — [10]) Schol. 146 *ἰστέον ὅτι αὐτοπροσώπως εἰςῆγον τοὺς κωμωδουμένους.* — [11]) ibid. *φαλακρὸς ἦν ὁ Σωκράτης.* — [12]) cf. Suidas v. *ὦ ᾽φήμερε· ὅτι ἐλέγετο ὁ Σωκράτης Σειληνῷ παρεμφερὴς εἶναι· σιμός*

De placitis vero omnique sophistae[1]) magisterio quae comoediae debemus, hominem non solum insipientem temerariumque declarant, verum etiam unum omnium perniciosissumum generi humano. Sed ut paucis appositeque ad persuasionem de hoc loco absolvamus, iam antequam perventum sit ad Aristophanis obiurgationes refellendas, non possumus non monere, quid intersit inter severorum hominum iudicia et poëtarum nugas. Qua in re veteribus quid persuasum fuerit, testem habemus locupletissumum Ciceronem:[2]) Socrates mihi videtur, id quod constat inter omnes, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse, ut de virtutibus et vitiis omninoque de bonis rebus et malis quaereret, coelestia autem vel procul esse a nostra cognitione censeret, vel si maxume cognita essent, nihil tamen ad bene vivendum conferre . . . . Omnis eius oratio in virtute laudanda et in hominibus ad virtutis studium cohortandis consumebatur. Contra Socrates Aristophaneus totus deditus est physicis,[3]) non dissimilis Anaxagorae vel Xenophani. Virtutis autem usque eo non habet rationem honestatemque fugit, ut postquam sophistarum in modum os perfricuit, iusta quae et existumantur et sunt, ea doceat esse iniusta[4]) et iuventutis gravissumus incredibilis nequitiae auctor castigandus videatur[5]) Neque talia ab eius ingenio sunt aliena, qui non alios deos cognoverit, quam mirabilia in rerum natura: aerem immensum aethera lucidum nubes igniferas:[6]) non dedecent levitatem eius, qui dialecticae tantum tribuerit, ut Linguam in numero haberet dearum.[7]) Nae ille sedulo nugas captabat. Ubi enim otium contigerat, spreta saepe inquirendi gravitate non

---

τε γὰρ καὶ φαλακρὸς ἦν· περιέθηκεν οὖν αὐτῷ φωνὴν τὴν τοῦ παρὰ Πινδάρῳ Σειληνοῦ. ὅ γάρ τοι Πίνδαρος διαλεγόμενον παράγων τὸν Σειληνὸν τῷ Ὀλύμπῳ, τοιούτους αὐτῷ περιέθηκε λόγους.

Ὦ τάλας ἐφάμερε, νήπια βάζεις, χρήματά μοι διακομπέων. ἅμα δὲ καὶ ὡς ὑπερηφανοῦντος λοιπὸν τοῦ Σωκράτους τά ἀνθρώπινα, καὶ ἐν θεοῖς ὄντος αὐτοῦ, διότι μετεωρολέσχης ἦν, οὕτω τὸ ἐφήμερον ἐποίησεν αὐτὸν λέγοντα et Schol. 223. Nec. reticuerunt Plato et Xenophon de corporis deformitate magistri. — [1]) Nub. 331 cum schol. et passim. — [2]) Cic. Acad post. IV., 15 et 16; adde Tuscul. disp. V., 4. 10 et 11. — de rep. I., 10. 15. — de finib. V., 29. 88. — de nat. deor. II., 66. 167. — [3]) Nub. 95—97; 144 — 234; 360 Socrates *μετεωροσοφιστής* appellatur; 489 institutionem Strepsiadis incipit a physicis: *ἄγε νυν ὅπως, ὅταν τι προβάλλω σοι σοφὸν περὶ τῶν μετεώρων, εὐθέως ὑφαρπάσει.* — [4]) Nub. 198 *οὗτοι* (Socrates eiusque sectatores) *διδάσκουσιν . . . νικᾶν καὶ δίκαια κἄδικα.* 890 — 1104. — [5]) Phidippides eiusmodi fructum cepit ex Socratis institutione, ut v. 1470 clamitet: *ἰδού γε Δία πατρῷον· ὡς ἀρχαῖος εἶ. Ζεὺς γάρ τις ἔστιν;* v. 1401—5 *ἐγὼ γὰρ ὅτε μὲν ἱππικῇ τὸν νοῦν μόνῃ προςεῖχον, οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήμαθ' οἷος τ' ἦν, πρὶν ἐξαμαρτεῖν. νυνὶ δ', ἐπειδή μ' οὑτοσὶ τούτων ἔπαυσεν αὐτός, γνώμαις δὲ λεπταῖς καὶ λόγοις ξύνειμι καὶ μερίμναις, οἶμαι διδάξειν ὡς δίκαιον τὸν πατέρα κολάζειν* — [6]) Nub. 264 - 66 et Rötscher Aristophanes und s. Zeitalter p. 283. — [7]) 424.

recusabat, quominus saltus pulicis metiretur [1]) culicis cantum miraretur [2]) oscitaret imminente luna [3]) Et ut ipse rebus inanibus otium trivisse perhibetur. ita discipulorum animos dicitur studiis vanis imbuisse. Velut ex Strepsiade instituendo primum quaerit, num naturalem [4]) quandam habeat dicendi artem eumque mente aliis rebus intenta, etsi appellat barbarum, [5]) tamen de metris rhythmis verborum differentia, rebus ab agricolae indole alienissumis, pergit exponere. [6]) Tandem eo adducitur invitus, [7]) ut Strepsiadis voluntatem respiciat. At quam laevus [8]) temerarius [9]) nefastus! Tantum enim abest, ut honestatis studio eum muniat contra insidias adversariorum, ut ad perfidiam dolum invidiam identidem incitet. [10]) Idem iuvenibus multo etiam saepius accidisse, quorum animi quo sunt molliores eo facilius hominum aetate maiorum cantilenis obstupefiunt, multis ex locis licet colligi. [11]) Sed poëta quam defecerit a veritate iam est locus disserendi. — Cur suum Socratem persona non dissimili philosopho illi ornaverit, quis non videt caussam? Ille quum quotidie in conspectu versaretur vulgi spectantium, eius simulacrum, siquidem non alium quendam ludere, sed non obscure Socratem fuit in animo poëtae, necessario spectabatur tale, qualem omnes ipsum cognoverant. Itaque videtur verisimile, ut supra diximus, ne ventris [12]) quidem amplitudinem roborisque esse restrictam, quae ne abhorreat a pallidi [13]) philosophi imagine valde arbitramur timendum. Multa praeterea, unde non tam ingenium moresque cognoscuntur quam mira quaedam philophi consuetudo vitaque privata Socratem designabant verum: ingressus corporis cultus superbia, calvities narium forma omnisque cum Satyris similitudo, cibi vestitus urbanitatis incuria. Eaque quam vere posita sint, satis erit unum adiisse Platonem, cuius in symposio [14]) haec leguntur: *Τοιαῦτ' ἄττα σφᾶς ἔφη (Ἀπολλόδωρος) διαλεχθέντας ἰέναι. τὸν σὺν Σωκράτη ἑαυτῷ πως προσέχοντα τὸν νοῦν κατὰ τὴν ὁδὸν πορεύεσθαι ὑπολειπόμενον.* [15]) Idem fere legitur p. 28. *ἔθος γάρ τι τοῦτ' ἔχει· ἐνίοτε ἀποστὰς, ὅποι ἄν τύχῃ ἕστηκεν.* [16]) De contemptu munditiei non reticet Alcibiades. [17]) *οὗτος ἐξῄει ἔχων ἱμάτιον μὲν τοιοῦτον, οἷον περ καὶ πρότερον εἰώθει φορεῖν, ἀνυπόδητος δε διὰ τοῦ κρυστάλλου ῥᾷον ἐπορεύετο, ἢ οἱ ἄλλοι ὑποδεδεμένοι.* Neque tamen Socrates repudiabat promere splendidiorem ornatum in honorum vel deorem vel amicorum: [18]) *Ἔφη γὰρ (Ἀριστόδημος) οἱ Σωκράτη ἐντυχεῖν λελουμένον τε καὶ τὰς βλαύτας ὑποδεδεμένον, ἃ ἐκεῖνος ὀλιγάκις ἐποίει.* [19]) Iam vero

---

[1]) 145. — [2]) 160. — [3]) 172. — [4]) 486. — [5]) 492 et 629. — [6]) 638 seq. — [7]) Nub. 738. — [8]) 744 — 45 — [9]) 756. — [10]) 776, 1152. — [11]) 1338. 1399—1405. [12]) cf. Kock Einl. zu d. Wolken p. 12. — [13]) 103. — [14]) ed Hommel p. 21. [15]) Eoque illustratur Aristophaneum Nub. 362. *βρενθύει τ' ἐν ταῖσι ὁδοῖς* praeterea vid. schol. *βρενθύει· ἀποσεμνύνεις σεαυτὸν ἐν τῷ σχήματι καὶ ταυρηδὸν ὁρᾷς, κομπάζεις καὶ ὑπεροπτικῶς βαδίζεις.* — [16]) p. 28 et 377—78. — [17]) p. 373. — [18]) p. 16 et Diog. Laert. Socrat. 11. — [19]) Hinc disce quae insit vis in verbo Aristophaneo *σοκρατεῖν*, Aves 1271.

ipsis Aristophanis verbis utitur Alcibiades declaraturus Socratis superbiam:[1]) *ἔπειτα ἔμοιγε ἐδόκει, ὦ Ἀριστόφανες — τὸ σὸν δή τοῦτο — καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥςπερ καὶ ἐνθάδε, βρενθυόμενος καὶ τὠφθαλμὼ παραβάλλων.* De illa cum Satyris similitudine nec copiosius nec praestantius quisquam Platone disputavit.[2]) Quid plura? Non est obscurum, et naturam et consuetudinem philosophi a poëta ut artificiose ita vere esse expressam. Qua in re tamen si pauca nimis aucta sibique repugnantia videntur, facile poëtae comico condonabimus.[3]) Sed praeter personam nihil habet commune Socrates Aristophaneus cum nobilissumo illo principe atque auctore tot disciplinarum philosophicarum. Non enim navabat operam physicis: testis est Plato Aristot. Cic., testes sectatorum scholae, testis totius antiquitatis consensio.[4]) Non exemit civibus virtutis studium, immo primus omnia huc esse referenda sic docuit, ut quid inter ipsum et sophistas interesset, dilucide appareret.[5]) Non tribuit plus ceteris dialecticae, id quod diserte memorat Aristoteles.,[6]) neglectus hoc loco a Diogene Laertio.[6]) Qui autem fieri potuit, ut multis studiis posthabitis coleret dicendi artem is, qui in sophistis eam perstringeret? Namquam curabat, quid diceret sed, quemadmodum verum diceret. Quare etsi haud ita raro coactus est recurre ad dialectitam,[7]) tamen dissimillumus est putandus sophistarum omnem operam curamque hic reponentium. Sed non egent omni veritatis specie, quae v. 144 — 174 a poëta narrantur: comico tamen more transtulit ille philosophi curas a severitate veritatisque studio ad res inanes planeque ridiculas. Ac quum a Platone philosophandi ratio accepta esset triplex:[8]) una de vita et moribus, altera de natura et rebus occultis, tertia de disserendo et quid verum sit, quid falsum, quid rectum in oratione pravumve, quid consentiens, quid repugnet iudicando, Socrates primam sic amplectebatur, ut alteram prorsus neglegeret, tertiae minus tribueret sophistis. His quae addi possunt, iam scholiastae refellerunt, quorum de mercede, quam exigeret a discipulis Socrates, iudicium hoc exstat:[9]) *καὶ τοῦτο ψεῦδος, διαβολῆς χάριν· οὐδεὶς γὰρ μίσθον ἐτέλει Σωκράτει.* Jidem tamen videntur decepti fabula de amore impuro[10]) *ἐμφαίνει διὰ τούτου ὅτι παίδων ἤρα ὁ Σωκράτης· ἐν ταῖς παλαίστραις γὰρ τὰ πολλὰ ἐξητάζετο,*

---

[1]) p 282—83 — [2]) p. 339 *καί φημι αὖ ἐοικέναι αὐτὸν τῷ Σατύρῳ, τῷ Μαρσύᾳ· ὅτι μὲν οὖν τόγε εἶδος ὅμοιος εἶ τούτοις, ὦ Σώκρατες, οὐδ αὐτὸς δή που ἀμφισβητήσεις* etc. — [3]) Roscher Clio p. 31. Wo der Dichter historische Personen in sein Kunstwerk übernimmt, da pflegt er ihre Hauptzüge immer zu verstärken, ihre Nebenzüge dagegen völlig schwinden zu lassen. — [4]) Aristot. Metaps 6 init. *Σωκράτους περὶ μὲν τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς ὅλης φύσεως οὐδέν* . . . Diog. Laert. II. 6. 21 *Γνόντα δὲ τὴν φυσικὴν θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς, τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἄρξαι ἐπί τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ.* — [5]) Xenoph Mem. I., 1. 11. IV., 7. 6. — Aristot. de part. anim. I., 8. — Metaph. XII., 4 et 9. — Plat. Apolog. et Crito. Vid. Stallbaum praef. ad Gorg. p. 27 seq. — [6]) II., 5. 19. — [7]) cf. Plat. Gorg. — [8]) Cic. Acad. post. I., 5. 19. — [9]) ad Nub. 98. — [10]) ad Nub. 179 cum schol. et contraria Plat. symp.

ἵνα αὐτοὺς ὀρφῇ. Reliqua,[1]) quum divini illius hominis imago, qua nihil possit nec dulcius nec copiosius cogitari, effugerit fortunam iniquam, iam omittere lubet. Licet enim alius aliter sentiat de consilio Platonis scribentis symposium, hoc non videtur dubium quin omnia ad Socratem referantur dulcissumumque illud convivium nec Alcibiadis nec Aristophanis nec Aristodemi, sed Socratis caussa videatur paratum. Et quam non suo ingenio scriptor, sed rebus servire voluerit, ea re indicatur, quod Alcibiadem vinolentum expertemque fallaci induxit laudantem Socratem exponentemque de eius vita ingenio ac moribus. Itaque is fons adeundus videtur, si quis opprobrium fugiat simile illi, quo Alcibiades convivas momordit:[2]) εὖ γὰρ ἴστε, ὅτι οὐδεὶς ὑμῶν τοῦτον γιγνώσκει. Quamquam ipsi dectrectamus hanc offici partem: praestantissuma enim ingenia[3]) quum suam in hac quaestione operam collocassent, semper verebamur idque iure, ne γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας. Neque tamen, haec de prosopographia Aristophanea quaestio ut plene esset cumulateque perfecta, locum aliquem omnino praetermitti licebat.

Itaque non est dubium, quin Socrati Aristophaneo similitudo sit rara cum vero Socrate. Iamque quaeritur, unde poëta simulacro ab ipso efficto colores sumptos adhibuerit. Fuerunt,[4]) „qui Nubium drama Aristophanem conscripsisse dicerent, inductum ab Anyto et Melito, inimicis Socratis, ut philosophum illum odio et ludibrio publico exponeret et hac ratione aditum quasi futurae accusationi, quam adversus eum moliebatur, praepararet.[5]) Hanc tamen opinionem reiecit iam Palmerius in Exercit. p. 7 29. Quidam alia, sed non minus inepta ratione usi, iratum crediderunt Socrati fuisse Aristophanem, quod Archelaus, Macedoniae rex, eum ipsi praetulisset. Verum iam inter veteres fuerunt (Schol. ad. 97) qui nullam simultatem Aristophani cum Socrate intercessisse existimarent. Qui argumentum primum scripsit, perpetuis comicorum et philosophorum iurgiis factum putat, ut Socratem irrideret Aristophanes. Nimirum, quod vere Schol. observant, quae philosophorum vitia iu nubibus irridentur, ab iis Socrates unus omnium maxime immunis fuit: quo clarius intelligitur, non hunc, sed ceteros philosophos in Nub. traduci. Non odio sed sola ridendi libidine Socrates eo tempore, ubi nondum cuiusquam iniuriae obnoxius fuisse videtur, ab Arist. Eupolide et Amipsia lacessitus est. Fuit haec poëtarum veteris comoediae consuetudo et libertas, ut non modo, quo quisque vellet, studia populi impelleret, unde autem vellet, deduceret,

---

[1]) Quae praeterea fidei repugnant, quum breviter tum distincte composuit Kock Einl. zu den Wolk. 2. Aufl. p. 12—13. — [2]) symp. p. 350. — [3]) Grote l. l. IV., p. 621—696. K. Schmidt Gesch. d. Pädag. I. p. 249—264. — Lasaulx Sokrates Leben, Lehre und Tod. — [4]) Quae proxume sequuntur, composita sunt ex Aristoph. ed. Jvernizzi IV., p. I 11. — [5]) Aelian. V. H. II., 13. Eunap. in Aedes. p. 35. Thom. Mag. Nubium argumeut. VIII.

sed etiam ut, quidquid in quoque ridiculum inveniretur, id oblectationis tantum causa, sine ulla acerbitatis suspicione in scena notaret. In quo genere largam ridendi materiam suppeditabat Socrates, qui propter morum vitaeque insolentiam notus esset omnibus.“ Eas opiniones omnes ita respexit Wieland,[1] ut eas refelleret suumque adiungeret iudicium tale: „Aristophanes id unum agebat, ut spectatoribus risum movendo valde placeret aliosque comicos, quibuscum certabat, vinceret. Etenim hactenus iam saepius victoriam reportaverat et Cratinum adeo superaverat; igitur elaborandum ei erat, ut populum detineret eiusque favore, qui novitate argumenti et iocorum varietate erat retinendus, non excideret; hoc visus est unus sibi ita optime efficere posse, si eam quae tum erat, philosophiam risui exponeret. Cum unus aliquis philosophorum deligendus esset, Socrates, multis non ignotus de facie, poëtae invisus, aptissimus habitus est, quem in scenam produceret; cuius quidem imaginem, ut tanto maiorem excitaret risum, non ad naturam depinxit, sed pro lubitu deformavit. Ita intelligitur, qui fieri potuerit, ut Socrati, quem ipse non vere cognovisset, tantam faceret iniuriam, quantam ipse non existimasse videtur.“

Eorum qui nuper de Nubibus disseruerunt, agmen ducat Suevern.[2] Qui quid statuerit de Socrate Aristophaneo, ex iis patet quae reprehensionis gratia addidit Roetscher:[3] Wenn daher der dramatische Sokrates als eine, viele von dem historischen Sokr. entlehnte Grundzüge, in einer ihm ganz heterogenen Richtung ausarbeitenden Karrikatur bezeichnet wurde, (von Süvern) so kehrt sich dies vielmehr dahin um, daß unserem dramatischen Sokr. die vielen Züge des historischen Sokr. als Folie dienen, um die Bestimmtheit seiner Person recht klar zu machen, und den Angriff auf diese Richtung in der concreten Einzelheit hervorzuheben, und in ihr die Allgemeinheit darzustellen. Zugleich ist durch die, dem historischen Sokr. nicht zukommenden, scherzhaften und abenteuerlichen Züge, derselbe zu dem komischen Ideal hinaufgerückt worden, welches die Komödie verlangt, und zu welchem Aristophanes dadurch alle seine Helden erhoben hat. Ebenso kehrt sich der, als Resultat der Abhandlung ausgesprochene Gedanke, daß man von Seiten des inneren Wesens des S. dem Arist. nur ein formelles und poetisches Recht zugestehen kann, hingegen bei anderen, wie bei dem im Pheidippides dargestellten Alcibiades, ein reales, unmittelbar um. Man muß nämlich vielmehr sagen, daß das innere Wesen des S., welches sein Princip ist, dasjenige, woran er seine Befriedigung gefunden, dem Dichter das Recht gab, den Kampf auch gegen den einzelnen empirischen S. zu beginnen, der dem Gesetze und der Sitte nicht nur nicht schadete, sondern dem es sogar am Herzen lag, dasselbe überall zu erhalten. Alias opiniones refellit Droysen:[4] a) Sokrates sei um die Zeit der Wolken noch nicht der durchgebildete Philosoph gewesen; erst in späteren Lebensjahren habe er sich ganz von der eitlen Speculation der Naturphilosophie und Sophistik entfernt, um

---

[1]) Attisches Museum III., p. 57—100. — [2]) Ueber d. Wolken d. Arist. 1826. — [3]) p. 317—18: ceterum cf. 272 seq. — [4]) Einleitung zu den Wolken des Arist.

derentwillen ihn Arist. in den Wolken verhöhne. b) Arist. Spott verfolge den S., weil dieser Bewunderer des Euripides gewesen sei, dem der Komiker ewige Feindschaft geschworen zu haben scheine. c) Nicht S. sei Hauptperson des Stückes, sondern Strepsiades und sein Sohn, an denen die allgemeine Entartung der Zeit dargestellt werden sollte, die allerdings durch die neumodische Bildung besonders verschuldet sei; S. sei als Carrikatur gebraucht, um die Elemente der neuen Bildung an einer bekannten und wunderlichen Persönlichkeit zu vergegenwärtigen. Ipse Aristophanem arti, non rerum memoriae serviisse autumat; quare illum, etsi suam potissumum aetatem respexisset, tamen quum et artis legibus et more comico multa pervertisset, quaerentibus de illis temporibus subsidium ferre non potuisse. Neque quam Ranke proposuit, sententia viro doctissumo Bernhardy probatur.[1]) Restat Th. Kock, qui Nubibus quum alia tum haec praefatus est:[2]) Wenn daher das Bild, das Arist. von S. gegeben hat, die täuschende Aehnlichkeit eines Portraits nicht besitzt, so sind doch die Abweichungen von der Wahrheit nicht Verleumdungen und konnten es nicht sein. Denn wenn auch die Berühmtheit des Mannes damals erst im Entstehen war, so waren doch gewiß seine fast ganz der Oeffentlichkeit angehörende Lebensweise, seine augenfälligen Eigenheiten und Gewöhnungen schon allgemein bekannt, und die böswillige Entstellung in dieser Beziehung hätte sofort in dem Bewußtsein aller ihre Widerlegung gefunden: jene Abweichungen waren nöthig, weil S. dem Dichter ein Gattungsbegriff ist und als solcher verspottet wird, und es ist eben so unnütz, den einen gegen die Absicht der Lüge, wie jenen gegen die Unwahrheit der in den Wolken erhobenen Beschuldigungen zu vertheidigen. Sokrates selbst und seine Anhänger haben den Arist. ganz richtig beurtheilt: sie erkannten seinen Irrthum, achteten aber die Tüchtigkeit und den Ernst seiner Gesinnung. —

Lubenter concedimus, inimicum fuisse mendacio Aristophanem: non cadit igitur in eum crimen nec animi venalis nec iniuriarum ex simultate natarum. Erravit tamen Droysen, qui comoediam totam censeret lusoriam: obstat quam Aristophanes de arte sua conceperat sententiam,[3]) obstant veterum philosophorum testimonia,[4]) obstant recentiorum iudicia.[5]) Quocirca ii audiantur necesse est, qui mitigandae et tristitiae et sollicitudini, quam conceperint ex rei publicae conditione misera, a poëtis comicis sic adscitum affirmant ludum, ut hominum describendorum et rerum naturam veram

---

[1]) Grundriß der Gr. Lit. pars II. p. 572 seq. — [2]) Einl. p. 13. — [3]) Pax 735—761. et passim. — [4]) Plat. sym. in fine *προςαναγκάζειν τὸν Σωκράτη ὁμολογεῖν αὐτοὺς (Ἀγάθωνα καὶ Ἀριςιοφάνην), τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς εἶναι κωμῳδίαν καὶ τραγῳδίαν ἐπίστασθαι ποιεῖν, καὶ τὸν τέχνῃ τραγῳδοποιὸν ὄντα, καὶ κωμῳδοποιὸν εἶναι.* — [5]) Ranke comment. de vita Aristoph. vid. Plutum ed Thiersch p. LVII. illa ipsa poëtarum Aristophanisque reprehensione praeclare, licet recusante fortasse animo, testatur, comoediam antiquam non totam amatoriam fuisse et lusoriam: neque eius auctores levem artem, orationis modo elegantia et urbanitate insignem, sententiarum autem pondere destitutam, exercere voluisse.

haud leviter obscurarent, dummodo ne similitudo adeo deleretur, ut deceptos se sentirent spectatores. Socratem quidem postquam poëta aperte designavit persona, ut risum moveret spectantesque delectaret, non dubitavit vocare sophistam pallidum, φροντιστηρίῳ includere doctrinam in gymnasiis tonstrinis triviis vulgo expromentem, denique fingere doctorem umbraticum, quem sine controversia prorsus alium cognovisset. Eoque cupidius ancupabatur, quae merito iocandi materiam suppeditarent. Atque haec quidem spectatorum delectandorum caussa in Nubibus locum invenerunt. Sed multo gravior invenitur caussa, cur Aristoph. hominem sanctissumum sale et facetiis persequendum arbitratus veram imaginem deleverit. Neque iam solum ridentium spectatorum habebat rationem, sed etiam rei publicae consulentium. Duae enim quia tum erant in civitate factiones,[1]) quarum altera ita se gerebat, ut sua consilia optumo cuique probaret,[2]) altera relicto more maiorum novis rebus studeret iudicemque communis salutis animi sui sensum, non leges putaret:[3]) hanc omnes[4]) poëtae comici sic oderant, ut eius consiliis, quum rei publicae iudicarent perniciosissumam et propter desertum maiorum morem ne nomine quidem Graeco censerent dignam, obviam irent in stomacho ridentes. Et Socrates, quoniam nova philosophiae studia, quae quum a sophistis inchoata essent,[5]) continuo vitae antiquae, quam dicunt, adversabantur commovebantque illa civium odia, ex scholis atque umbra in forum transtulit ingenique sui et sagacitate et probitate auxit, non temere poëtis comicis veteri disciplinae addictis novaque eo magis reformidantibus, quo cognoverant minus, stomachum fecit, praesertim quum is dissensionis civilis auctor atque caput exstitisse videretur, ut ne religionis quidem sanctitatem dubitaret laedere.[6]) Merito igitur vellicatur? Adnuet vero poëta, qui cives omnes rei publicae parere, non suum sequi arbitrium debere sibi persuaserit: atque hominis est vere Graeci ita iudicare. Num etiam humanum? Immo vero inhumanum, adimere potestatem sentiendi docendive, quae quisque velit, dum naturae et rationi sint consentanea humanamque scientiam augeant. Quare suo iure hanc sibi sumpsit is licentiam, qui quum rogaretur, cuiatem se esse diceret, Mundanum, inquit:[7]) at qualem is putabat, qui non alium nisi civem Atheniensem esse se vellet? Expressit igitur Socratis et vitam et morem eum, qui ab huius ingenio plane abhorreret poëtamque declararet alio loco constitutum esse ac philosophum.

---

[1]) cf. H. Buettner Geschichte der polit. Hetärien in Athen. Droysen Rhein. Museum IV., p. 36 seq. Schoemann Antiq. p. 101. — [2]) Passim ab Aristophane appellantur καλοὶ κἀγαθοί. — [3]) Roetscher p. 362. Wir haben gesehen, wie sowohl die Komödie des Arist. als der athenienfische Staat auf dem harten Gegensatze der einfachen substantiellen Sittlichkeit und der freien Subjektivität und ihrer Entscheidung und Reflexion in sich beruhen. — [4]) Roscher p. 300 seq. et Th. Kock p. 10. — [5]) Grote IV., 570—620. — [6]) Roscher 217. Das höchste Ideal dieser neuen Religiosität ist Sokrates, höher stehend, als der quäkerhafte Hermogenes. — [7]) Cic. Tusc. disp. V, 37. 108.

Sed non maledicendi studio, sed solo errore iudicioque non ab omni parte caussam ponderanti huc est adductus. Neque quid in quaque re verum esset quove quaeque viderentur referenda, dum inter se pugnabant hominum studia, dignoscere Aristophani licebat. Hinc quanta incrementa humanitati ex nova philosophia essent accessura non vidit. Quid, quod sophistis neutiquam distinxit Socratem, quem merum sophistam duci nefas esset? Sed quod hac quoque aetate poëtis saepe accidere videmus, ut vario litterarum genere gustato, philosophi quo tendant non ignorent, eorum varia diversaque placita parum perspecta habeant: idem tum sic evenit, ut quid discreparet a sophistis ratio Socratis omnia ad virtutem esse referenda dictitantis ceteroquin illis similis, Artstophanis et mentem fugeret [1]) et animum metu ingruentis iam rerum publicarum commutationis impleret. Huc accedit, quod quum artifices non singulos homines, sed hominum genera notarent, ideo Socrati Aristophaneo multa addita sunt, quae sophistarum potius chorum decerent, quem ille videbatur ducere. Nec vero audiendi sunt vel scholiastae [2]) vel viri doctissumi Roetscher et Kock, qui hanc unum iocorum caussam statuerunt. Aliud nescio quid sibi persuadebit is, qui Euripidem Aristophaneum cum Socrate comparaverit: non adsumpsit, quoniam poëta poëtam optume cognoverat, illius imagini aliena, id quod in philosopho factum nemo negabit. Ergo ridebat Socratem Aristophanem, non quo vel mercedem accipere vel irae indulgere vel ceteros sophistas tangere vellet: sed quia, etsi nec ipse quid mirum illud caput moliretur nec spectantium maxuma pars perspexerat, tamen ne quid detrimenti inde caperet res publica cavebat. Aliis quoque locis poëta προφύλακος cuiusdam munere fungitur, qui sive perciculum vere imminens videt sive vaticinatur atque insanit, risu suo cives oscitantes ad vigilantiam excitet. Cui errore saepe decepto propter ambitum provinciae tuendae quis est qui succenseat? Itaque non est mirum, quod in lautissumis Agathonis mensis cum poëta comico is accubuit, quem ille gravi persequi odio videbatur: neque mirum, quod in Apologia [3]) Socrates sibi ab Aristophane iniuriam illatam queritur: intulerat re vera iniuriam, sed eius caussa error, non mens delatoris cuiusdam sordida.

Sequitur, ut dicendum sit de Cleone demagogo. Hunc describenti poëtae, quia res saepe gestae commemorautur, fides videretur habenda, ni Socratis imagine fidei dubiae suspicionem movisset. Quae suspicio etiam augetur Thucydidis auctoritate tribuentis, quae Cleoni vitio dantur, imprudentiae ac nimiae hominis cupiditati imperi, quum Aristophani omnia ad improbum privatae utilitatis studium sordesque

---

[1]) cf. Plat. sym. p. 35. — [2]) ad Nub. 96 et 144, quos locos non inspexit Roetscher, quum scriberet p. 275. Alle Schriftsteller des Alterthums, welche dieser Komödie gedenken, sprechen es als etwas über allen Zweifel Erhabenes aus, daß S. persönlich sei von Arist. verspottet worden, und dem S. selbst ist es nie eingefallen, daß ein Anderer unter seiner Maske der Gegenstand des bitteren Witzes gewesen. — [3]) c. 3 et passim.

referenda videantur. Demagogi enim rapacitatem inde a puero agitatam chorus Equit. exsecratur: [1]) eiusque exempla afferuntur pluruma. Ac primum quidem evomuit[2]) Cleo ab Equitibus coactus quinque talenta, quae, ut tributi onus levaret, ab insulanis acceperat: deinde a Potidaeatis decem talenta expressit:[3]) tum Lacedaemonios captos, donec pecunia sibi solveretur, custodia tenebat.[4]) Neque aliam ob caussam septem per annos pacem reiectam turbasque studiose esse auctas affirmat Agoracritus, nisi ut rapinae laterent.[5]) Praeter poëtas comicos unus Aelianus hanc rem attigit:[6]) *ὁμοίως δὲ καὶ Κλέωνα πρὸ τοῦ παρελθεῖν ἐπὶ τὰ κοινὰ μηδὲν τῶν οἰκείων ἐλεύθερον εἶναι· μετὰ δὲ πεντήκοντα ταλάντων τὸν οἶκον ἀπέλιπεν.* Nam Thucydidis verba[7]) — *Καταφανέστερος μὲν εἶναι κακουργῶν* — quominus accipiantur de Cleonis rapinis, prohibet orationis eius ratio, unde demagogi imaginem ingeni vitaeque petere consuevimus:[8]) illaque, si perperam intellegantur, repugnare iis, quae iuxta posita sunt — *καὶ ἀπιστότερος διαβάλλων* — docuit Grote.[9]) Sed recte Cleonis cupiditas calumniandi castigatur a Thucydide Aristophane[10]) Plutarcho,[11]) quorum testimoniis, quum turbulentum[12]) civem, *βιαιότατον τῶν πολιτῶν,*[13]) non abstinuisse pateat calumniis, non est opus. Et suscepto saepe inopum patrocinio,[14]) non tam civis honesti gloriam sequebatur Cleo, quam ingenio ad litigandum propenso parebat.[15]) Num vero et Periclem et Thucydidem et Anaxagoram accusaverit, ut quidam volunt, non liquet: nam quum propter studia factionum singulorum hominum facinora quodammodo in obscuro delitescerent, ne veteres quidem, quid a quoque patratum esset, pro vero affirmare audebant. Neque inter eos constare potuisse de calumniis, quae sunt acta in concione Atheniensium de expugnanda Sphacteria insula docebunt. Sed altius sic repetendum videtur, ut et satietati medeamur et ignorantiae legentium.

Pylum, Messeniae urbem, vere anni CCCCXXVI. a. Chr. n. in Atheniensium potestatem venisse et, feriantibus Lacedaemoniis, munitam esse a Demosthene, copiose narravit Thucydides.[16]) Brevi post urbem captam ut illi in conditionem iniquam se adductos senserunt, Pylum recipere nequidquam conati sunt. Et ut minora silentio praetereamus, atroci pugna navali commissa, non solum classem sexaginta navium non retinuerunt, verum ne impetrare quidem potuerunt, ne quadringenti viginti milites, excercitus robur, quos portus defendendi gratia ibi collocaverant, in insula Sphacteria

[1]) eq. 973—996 qui versus lepidissumi sic finiuntur *οὗτος οὐ δύναται μαθεῖν ἢ μὴ Δωροδοκηστί.* — [2]) Achar. 6. c. schol. — [3]) equit 438 c. schol. — [4]) 391—94 et Nub. schol. 186. Suid. v. *ἐοίκασι.* — [5]) eq. 763—835. — [6]) V. H. 10, I7. — [7]) Tucyd. V. 16. — [8]) ibid. III., 37—41. — [9]) III, p. 688. — [10]) eq. 7. 43—45. *Δῆμος Πυκνίτης ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα πανουργότατον καὶ διαβολώτατόν τινα.* 235—39. 648—54. — [11]) Pericl 33 — [12]) Cic. Brut. 7. — [13]) Thuc. III. 36. V., 16. — [14]) Ran. 566—76. — [15]) Achar. 377—382. 502 seq. 659 seq. Vesp. 1284—91 c. schol. eq. 257. cf. Grote III., p. 690. — [16]) IV., 3—6.

intercluderentur. Quem tam moleste casum ferebant, ut induciis cum Demosthene factis statim legatos de pace concilianda Athenas mitterent.[1] Athenienses vero, quos paci indulgere Lacedaemonii sibi persuaserant, tantum aberat, ut aequas pacis conditiones probarent, ut Cleoni non Sphacteriae solum praesidium civibus tradendum verum etiam Nisaeam Pegas Troezena Achaiamque postulanti facile adnuerent.[2] Nihilominus Lacedaemonii, modo cum paucis agi liceret, consilia se sua consecuturos sperabant. Cleo autem proditionem insidiasque suspicatus a Nicia structas eiusque amicis ad pacem qualemcunque propensis palam in concione sentias ferri iussit. Qua de re legati re infecta domum rediere,[3] quia fore intellegebant, ut si cum plebecula iniqua egissent, sua apud socios auctoritas imminueretur. Itaque imprimis Cleonis opera effectum est, ut novum utrimque bellum pararetur, quo Athenienses in summum discrimen adducti sunt. Etenim praemiis propositis et libertate Helotis promissa non defuerunt, qui in insula militibus a commeatu interclusis vario modo cibum adferrent. Quod quominus fieret, nec Atheniensium naves palantes nec supplicia sontium prohibuere. Ac quum vi insulam Demosthenes non auderet capere, bellum longinquum multorum animos in curas coniecit.[4] Haec dum mari geruntur, terra Lacedaemonii magnis copiis Pylum obsidebant, donec suis, qui in insula clausi tenebantur, opem ferrent. Ac re vera hostes eo adduxere, ut rebus maxume neccessariis egerent: iamque instabat periculum, ne hiemis spatio impeditis itineribus rei frumentariae commeatusque inopia ad deditionem perducerentur. Haec Athenienses vixdum compererant, quum pacis repudiatae poenitere eos coepit summumque in Cleonem odium extitit. Is vero postquam nuntium allatum negavit verum esse et, qui cum Theagene caussam diligentius exploraret electus, invidiam civium effugere se non posse sensit, celeri potius auxilio, dum fortuna secunda cives uterentur, quam inani inspectione opus esse clamitavit. Iam dudum expugnari insulam potuisse, modo imperatores haberent viros animosos ac fortes: — his quidem Niciam tangi voluit, qui summam imperi teneret cuique esset inimicus — proficiscerentur viderent auderent.[5]

Quae quum ita essent, quum Nicias augendae et rei et gloriae Atheniensium occasionem dimisisset, non iniuria, etsi aliter visum est Aristphani[6] Thucydi eiusque vestigia anxie multis locis[7] prementi Plutarcho,[8] male audivit a Cleone. Neque tamen hunc fuisse liberum omni inimicos falsis criminibus insectandi studio, supra iam diximus ingeni violenti mentionem facientes. Quod quale fuerit quantaque in homine crudelitas, Mitylenaeorum caussa est documento.[9] Nec ea solum naturae

---

[1]) Thucyd. IV., 9—17. — [2]) Thuc. IV., 17—22. — [3]) IV., 22. — [4]) IV., 26. — [5]) Thuc. IV., 27. — [6]) eq. 688 pax 665 et 669. — [7]) Nic. 1. — [8]) Nic. 2. 3. 4. 7. 8. — [9]) Thuc. III., 26—40. Suid. v. *Κλέων* appellat *μανιώδη ἄνδρα*. cf. Plut. Nic. 7 et Arist. eq. 273—302 et passim.

violentia fuit, verum etiam iniquae sortis. Cleo enim quum obscuro [1]) loco natus esset amicisque potentibus careret, rem publicam sic capessivit, ut summa audacia adversarios obtunderet. [2]) Et quum ei quotidie fere controversiae essent cum nobilibus novos homines despicientibus, [3]) et naturalis illa violentia et ridendi materia crevit, ut suo iure Aristophanes demagogum fingeret rabulam impudicum. [4]) Nec δήμῳ, qualem idem poëta fingit, [5]) illius vociferationes displicebant, praesertim quum palpari soleret. [6]) Etiam beneficiis demagogus civium animos sibi devinxerat: namque inopes ab opulentorum iniuriis defendebat, [7]) iudicum mercedem auxit. [8]) Sed eiusmodi artibus, quae non essent e re publica, quum omnium civium bonorum tum Equitum sibi contraxit invidiam gravissumam. [9])

Inde factum est, ut non solum quae vere in eo erant vitia, sed etiam ficta irriderentur virtutisque laus ad ipsum pertinere non videretur. De rapacitate iam vidimus: de impietate autem et patriae proditione [10]) sic exposuit Grote, [11]) ut nostro demagogus patrocinio facile careat. Quodsi vero ne Thucydides [12]) quidem ab iis Cleonem seiunxit, οἱ ὀρεγόμενοι τοῦ πρῶτος ἕκαστος γίγνεσθαι ἐτράποντο καθ' ἡδονὰς τῷ δήμῳ καὶ τὰ πράγματα ἐνδιδόναι, non tam morum quam ingeni culpam eam notavit, qua civitatis principes vacent est necesse. Summa prudentia fuit et in Themistocle et Pericle, in Cleone non item: [13]) ergo ne temperantia quidem aut iustitia. [14]) Quare cives, quoniam prudentia temperantia iustitia carebat, Cleonem

[1]) eq. 44 βυρσοδέψης et Suid. v. Κλέων. — [2]) Grote III.. p. 506 seq. — [3]) Maxume idoneos ad rempublicam administrandam Athenienses etiam tum putabant nobili genere natos: vid. Thucyd. V., 43 Ἀλκιβιάδης . . . ἀνὴρ ἡλικίᾳ μὲν ὢν ἔτι τότε νέος . . . ἀξιώματι δὲ προγόνων τιμώμενος. — [4]) eq. 273—452. Falsum hoc crimen iudicavit Droysen Einl. zu den Rittern; quasi vero scriptor aliquis, quae decerent, a Cleone neglecta negaverit. cf. Thuc. III., 37 seq. IV., 27 et Roscher p. 156. — [5]) eq. 40—44 et Plin. H. N. 35, 10, 36. — [6]) eq. 46—53. vesp. 34—41 c. schol. — [7]) ran. 566—76. — [8]) eq. 257 seq. 797—800. schol. ad Plut. 330. Boeckh Staatshaushalt d. Ath. II., 15. p. 327. — [9]) eq. 223 seq. — [10]) III., p. 569 seq. — [11]) eq. 801—9 et 1392. — [12]) II., 65. — [13]) Classen Einl. zu Thuk. pag. 60. Wie (Sokrates) alle menschliche Tugend auf Erkenntniß zurückführte und darum für lehr- und lernbar ansah, so beruht auch bei Th. die Tüchtigkeit der Männer, die er am höchsten stellt, zunächst auf der Schärfe und Klarheit der Einsicht, welche die gegenwärtigen Verhältnisse richtig beurtheilt und dadurch auch mit sicherm Blick in die Zukunft dringt; so vor Allem bei Themistokles (1, 138), den die οἰκεία ξύνεσις sowohl zum κράτιστος γνώμων τῶν παραχρῆμα, wie zum ἄριστος εἰκαστὴς τοῦ γενησομένου macht, und bei Perikles, der λέγειν καὶ πράττειν δυνατώτατος ist (1, 139, 4), weil er als γνώμῃ ξυνετὸς anerkannt ist (2, 34, 8 vergl. mit 6) u. s. w. Aus der richtigen Erkenntniß fließen alle Eigenschaften, die das tüchtige Handeln bedingen, zunächst und vor allem die Selbstbeherrschung und Mäßigung (ἡ σωφροσύνη), welche die Grundlage aller sittlichen Ordnung bildet und unter der Herrschaft der Leidenschaft verloren geht. — [14]) Veteribus sic placuisse, ut unam haberent omnes virtutes, testis quum Thuc. tum Cicero de off. II., 10, 35.

despiciebant: errabant tamen Aristophanis similes, qui patriae amoris illo magis expertem crederent neminem. Et eiusmodi errores adeo obscurarunt rerum memoriam, ut non desint hac aetate, qui damagogum in omnibus rebus sibi, non patriae servire voluisse doceant. Nuper enim ut multa praeclare ita de nimio privati commodi studio Cleonis non satis considerate scripsit J. Classen:[1]) Ich halte jene Urtheile über Kleon, dessen ganze Natur auch keinen Schatten von Perikles erhabener Geistesgröße in sich trug, für den berechtigten Ausdruck der tiefen Trauer um den Verfall der eben noch so glänzenden Vaterstadt, welche er nach der großartigen Leitung des herrlichen Mannes dem eigennützigen Ehrgeize unwürdiger Menschen Preis gegeben sah. Daß er sich vorzugsweise gegen Kleon wendet, wird auch darin seinen Grund haben, daß dieser ohne Zweifel schon vor seinem Auftreten in dem lesbischen Handel — er war schon damals *τῶ δήμῳ πιθανώτατος* — zu großem Einfluß bei der Menge gelangt war und wahrscheinlich auch Perikles letzte Lebensjahre getrübt hatte. Wohl möglich, daß Th. bei seiner Kenntniß der traurigen Ereignisse der spätern Kriegszeit bedauert, daß es nicht vor der Einnahme von Pylos, deren demüthigende Folgen Sperta nie verwinden konnte, zu einem billigen Frieden gekommen war, und daß ihm darum das tollkühne Unterfangen des Kleon, auch wenn es zunächst einen überraschenden Erfolge hatte, immer als eine *μανιώδης ὑπόσχεσις* (4, 39, 3) erschien. Sed haec ipsa *μανιώδης ὑπόσχεσις* et quae a Thucydide IV., 22 narrantur nonne Cleonem patriae amantissumum declarant?[2])

Iam vero quale sit crimen ignaviae raptaeque gloriae alienae,[3]) ne quid relinquatur dubii, de rebus ad Pylum gestis exponendum videtur. Ac de Niciae desidia iam supra est dictum. Is praeter opinionem nihil recusavit, quominus imperium ipsi abrogatum ad Cleonem deferretur, praesertim quum suae dumtaxat calumniae caussa illum tam insolenter locutum esse intellexisset. At demagogus, quum cives excercitum auxilio duci obsessis bellumque celeriter finiri iussissent, timidior quam qui in proelio exercitui prae esset, non se esse imperatorem dixit sed Niciam. Ubi tamen vulgi clamore victus promissis est coactus stare, viginti diebus aut vivos Lacedaemonios adducturum aut in insula ipsa interfecturum se iactavit atque ostentavit. Solum se Demosthenem rerum gerendarum collegam sibi adsumere neque ullum praeter socios Lemnios et Imbrios postulare militem. Quid plura? Omnium risum movit ista vana iactatione, tametsi rem nulli civi bono ingratam moliri est visus. Fore enim videbant, ut aut Cleonis iniuriis aut Lacedaemoniorum metu liberarentur.[4]) Demosthenem autem propter descriptam iam ab eo belli rationem sibi collegam adscivit. Et casu paulo ante acciderat, ut insula densa arbore consita ideoque bellum illaturis periculosa, igni vastaretur.[5]) Junctis igitur copiis, postquam caduceatoribus frustra ad Lacedaemonios missis insulam nisi vi capi non posse intellectum est, statim hostium vigiliis deceptis

---

[1]) Einleitung zu Thuk. p. 73. — [2]) Grote III., p. 578. — [3]) eq. 54—57. 392. 742. 844 seq. — [4]) Thuc. IV., 28. — [5]) IV., 28—31..

noctu Cleo et Demosthenes copias navibus in illam transmittendas curant. Deinde interfecto extremae stationis milite maiorem exercitus partem sic petunt, ut non solum in fronte, verum etiam a tergo et lateribus in eum impetum faciant. Utrimque parumper atroci proelio pugnatur. Lacedaemonii tamen quum iniquum tenerent locum magisque etiam ab Atheniensium levi premerentur armatura, quam in colles vicinos fugientem impediti sequi non possent, signo receptui dato in castellum confugerunt situm in extrema insula, quia natura ipsa iis adversari videbatur. Scilicet quod ex combusta silva erat cineris, partim venti vi partim pugnantium ardore in illos coniciebatur, ut unde arma sibi inferrentur, dignoscere non possent. Accessit, quod ingenti hostium clamore sublato imperatoris vocem non audiebant. Sed haec conditio est immutata, quum castellum obtinuissent, cuius praesidio muniti singuli plurium hostium impetui repellendo sufficerent. Et quamquam plerosque iam vires deficiebant, tamen nisi per dolum actum esset, haud scio an ancipiti Marte discessissent. Namque desparata iam castelli expugnatione Messeniorum dux, ultro per praerupta et ardua, quo hostes lateret, arcessito milite, subito media in arce constitit: turbatisque Lacedaemoniis, facile ut proelio finis imponeretur Cleo impetravit. Neque tamen eo loco Lacedaemonios perdere ei in animo fuit, sed prout promiserat, viginti diebus postquam profectus erat hostes catenis constrictos Athenas adduxit totiusque Graeciae admirationem movit, quippe quum homines aut victores fore aut proelio dimicantes ad unum omnes mortem oppetituros sperarent Lacedaemonios. [1]) Sed haec hactenus.

A Plutarcho pacis a Cleone dissuasae caussa adfertur haec[2]) *ἐχθρὸς γὰρ ὢν* (Cleo) *αὐτοῦ* (Niciae) *καὶ προθύμως ὁρῶν συμπράττοντα τοῖς Λακεδαιμονίοις ἔπεισε τὸν δῆμον ἀποψηφίσασθαι τὰς σπονδάς.* Jdemque quum scripserit; *Περικλέους ἀποθανόντος ἐνθὺς εἰς τὸ πρωτεύειν προήχθη* (Nicias) *μάλιστα μὲν ὑπὸ τῶν πλουσίων καὶ γνωρίμων ἀντίταγμα ποιουμένων αὐτὸν πρὸς τὴν Κλέωνος βδελυρίαν καὶ τόλμαν*, de diversis factionum studiis dubitari nequit. [3]) Quae si tanta erant, quum de pace ageretur, quantis odiis Niciam eiusque amicos exarsisse arbitrabimur propter victoriam ab adversario de Lacedaemoniis reportatam? Non potuerunt talem eventum eius virtuti tribuere, quem ut a re publica removerent, omni ope atque opera nitebantur. Itaque quod a Demosthene Pyli gesta sibi adrogasset, illum ridentium circulis obtulit Aristophanes: Thucydides ante Cleonis adventum omnem belli rationem a Demosthene descriptam fuisse tradidit: [4]) idemque in commemoranda Sphacteriae expugnatione plerumque solius Demosthenis fecit mentionem, velut *Δημοσθένους δὲ τάξαντος διέστησαν*[5]) et brevi spatio interiecto *τοιαύτῃ μὲν γνώμῃ ὁ Δημοσθένης τότε*

[1]) Thucyd IV. 31—41. — [2]) Nic. 7—9. — [3]) cf. Droysen Einleitung zu den Wespen p. 12. — [4]) IV, 29. — [5]) IV., 32.

πρῶτον τὴν ἀπόφασιν ἐπενόει καὶ ἐν τῷ ἔργῳ ἔταξεν. Quod si re vera ita gestum est neque factum iri fugit Cleonem concionantem, ecquid fuit, cur timorem prae se ferret? Cur eius promissa apparuerunt ridicula, quum nimirum omnia fere Demosthenis consilio essent perfecta? Nonne et Niciae et cuivis alii huius et consilio et opera uti licitum est? Hortabatur ipse Cleo [1]), sed nec Nicias de periculo dubius fuit nec quanti laboris esset expugnatio insulae reticuit Thucydides. His plura addere possumus, sed iam patet, ignaviae raptaeque gloriae alienae crimen fictum atque adeo pervulgatum esse a Cleonis adversariis. Quorum ne quis malas artes miretur, invento honesto καλῶν κἀγαθῶν nomine, Plutarchi de Nicia iudicium prohibet: [2]) ἐδίδου γὰρ χρήματα οὐχ ἧττον τοῖς κακῶς ποιεῖν δυναμένοις ἢ τοῖς εὖ πάσχειν ἀξίοις. Itaque cave insuper, ne demagogum rei militaris rudem putes. Cui etsi non solum ab Aristophane, verum etiam a Thucydide, quod bella inepte administrare soleret, opprobrio est datum: [3]) τῶν στρατιωτῶν ἀναλογιζομένων τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρός οἵαν ἐμπειρίαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο, tamen res sine ira ac studio examinantibus non persuadebitur. Ac primum quidem constat de gloria, quam Cleo rebus ad Pylum prudenter gestis est adeptus quaeque tanta fuit, ut cives ei et publice cibum praeberent in prytanio [4]) et προεδρίας honorem decernerent [5]) et ponerent in arce statuam [6]) et biennio post belli in Thracia gerendi ducem crearent. Hic ne quis amicorum beneficio laudes illius incrementa cepisse suspicetur. Extat enim Plutarchi testimonium, [7]) unde a Cleone rem publicam capessente amicitias omnes tamquam extenuantes curam publicam esse dissolutas discimus. Suoque ipsius in Sphacteria insula eum consilio esse usum, quum ex sociis [8]) non ex civibus propter discordias civiles parum fidis conscriberet exercitum, latere non potest. Iam vero ne Amphipolitanae quidem cladis caussa ad eum videtur referenda, ubi res Thucydide [9]) teste sic gestae sunt. Cum magno exercitu Athenis profectus Cleo, adscitis in itinere, qui Scionem obsidebant, Brasidam, in portu Colophonio infirmo Toronae praesidio relicto, procul ab urbe commorari per perfugas cognovit. Itaque decem navibus ad portum occupandum missis, ipse cum terrestribus copiis moenibus adpropinquat. Mox acriter pugnatur, dum classis urbem circumnavigat. Ubi vero milites oppidum praesidio destitum intrarunt neque Brasidas in tempore auxilio venit, Lacedaemoniorum pars interficiuntur pars cum duce Pasitelida capiuntur. His ita perfectis, navibus Cleo Amphipolin petens in itinere ut frustra Stagiram oppugnavit ita Galepsum in suam potestatem per vim redegit. Antequam cum Brasida ipso confligeret, Eione Thracum auxilia sibi adiungere constituit. Interim milites, οἳ οἴκοθεν ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον, [10])

---

[1]) Thuc. IV. 28. — [2]) Nic. 4. — [3]) V., 7. — [4]) Ar. eq. 766. — [5]) eq. 575 et 702. — [6]) Pausan. IV., 36. 6. — [7]) Plut. reipubl. gerendae praecepta. — [8]) Thuc. IV., 28. — [9]) Thuc. V., 2—10 et Diodor. XII, 73. — [10]) V., 7.

turbas cient imperatori et imprudentiam et cunctationem exprobrantes. Quare coactus Cleo castra movet. Neque Brasidas eum sequi cessat. Neuter tamen castris ad Amphipolin positis impetum facere audet. Dum dolum insidiasque parat alter, alter exercitus sui odium perfidiamque timens loci naturam explorando tempus terit Thracumque copias expectat. Tandem Brasidas, exercitus sui partem, prout iussa esset, Clearida duce oppidum intrasse certior factus, copias e castris educit, turbatoque Cleonis imprudentia hostium agmine neque iam integra fuga, atroci cruentaque pugna multos trucidat. Sed victoria nondum parta ipse interficitur. Ne idem sibi accideret, suam Cleo salutem in fuga nequidquam ponit: comprehensus enim a peltasta Myrcinio transfoditur. Nec diutius Athenienses hostibus resistunt.

Hoc tristi expeditionis exitu commotus etiam Grote laudem bellicam Cleoni abrogavit.[1]) Sed eius argumentationes, quas ad ipsum pugnae discrimen applicet, quia de hoc proelio inter scriptores non constat, nobis non probantur. Diodorus quidem multa cum Cleonis laude narrat:[2]) *τὸ μὲν πρῶτον ἰσόρροπος ἦν ἡ μάχη· μετὰ δὲ ταῦτα παρ' ἑκατέροις τῶν ἡγεμόνων φιλοτιμουμένων δι' ἑαυτῶν κρῖναι τὴν μάχην συνέβη πολλοὺς τῶν ἀξιολόγων ἀνδρῶν ἀναιρεθῆναι τῶν στρατηγῶν αὐτοὺς καταστησάντων εἰς μάχην καὶ ὑπὲρ τῆς νίκης ἀνυπέρβλητον φιλοτιμίαν εἰςενεγκαμένων. ὁ μὲν Βρασίδας ἀριστεύσας καὶ πλείστους ἀνελὼν ἡρωικῶς κατέστρεψε τὸν βίον. ὁμοίως δὲ καὶ Κλέωνος ἐν τῇ μάχῃ πεσόντος ἀμφότεραι μὲν αἱ δυνάμεις . . . ἐταράχθησαν.* Itaque recurrendum videtur ad ea, quae Eione facta sunt:[3]) *Ὁ δὲ Κλέων τέως μὲν ἡσύχαζεν, ἔπειτα ἠναγκάσθη ποιῆσαι ὅπερ ὁ Βρασίδας προσεδέχετο. τῶν γὰρ στρατιωτῶν ἀχθομένων μὲν τῇ ἕδρᾳ, ἀναλογιζομένων δέ τὴν ἐκείνου ἡγεμονίαν πρός οἵαν ἐμπειριαν καὶ τόλμαν μετὰ οἵας ἀνεπιστημοσύνης καὶ μαλακίας γενήσοιτο καὶ οἴκοθεν ὡς ἄκοντες αὐτῷ ξυνῆλθον, αἰσθόμενος τὸν θροῦν καὶ οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι, ἀναλαβὼν ἦγε. καὶ ἐχρήσατο τῷ τρόπῳ ὧπερ καὶ ἐς τὴν Πύλον εὐτυχήσας ἐπίστευσέ τι φρονεῖν. ἐς μάχην μὲν γὰρ οὐδὲ ἤλπισέν οἱ ἐπεξιέναι οὐδένα . . .* Hic quis non videt Thucydidis iniquitatem? Ipse multas in Thracia urbes a Cleone esse expugnatas tradidit: confirmat Suidas:[4]) *Πολλὰ δὲ ἐργασάμενος ἔργα, ὕστερον εἰς Θράκην ἀποσταλεὶς στρατηγὸς πολλὰς προςεκτήσατο πόλεις*, nihilominus eum et ignorantiae et cunctationis accusat. Dicit Cleonem Thracum expectasse auxilia: hic quid habebat caussae, si facili opera Brasidam a se victum iri sperabat? Vituperat cunctationem idemque non exuisse demagogum levitatem illam Pyliam adseverat. In tanta discrepantiarum multitudine quum sit coniecturae locus, a vero aberrare nobis non videmur discordiis civilibus cladis culpam adsignantes. Quae enim odia civium magnam partem a Nicia corruptorum — *οἴκοθεν ἄκοντες*

---

[1]) III., 681—82. — [2]) XII., 74. — [3]) Thuc. V., 7 init. — [4]) v. *Κλέων*.

αὐτῷ ξυνῆλθον — profecturus Pylum timuerat Cleo, ea ad Amphipolin eum prohibuerunt, quominus quae ad proelium gravissumum pertinerent, probe provideret: *ἠναγκάσθη ποιῆσαι ὅπερ ὁ Βρασίδας προσεδέχετο.*

Sed recte Aristophanes rei publicae gerendae peritum fuisse negat Cleonem, quem Thucydides induxit sic concionantem:[1] *ἀμαθία τε μετὰ σωφροσύνης ὠφελιμώτερον ἢ δεξιότης μετὰ ἀκολασίας, οἵ τε φαυλότεροι τῶν ἀνθρώπων πρὸς τοὺς ξυνετωτέρους ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖον ἄμεινον οἰκοῦσι τὰς πόλεις.* Ubivis praesentiae nimis adstrictus, non potuit invenire laudem *εἰκαστοῦ τοῦ γενησομένου.* Quid, quod rebus difficilibus non aliam medicinam nisi ab oraculis petitam adhibere solebat?[2] Et oracula quum viderentur eius rebus adnuere, ne turpitudine quidem abstinebat, modo consilia sua consequeretur. Multaque propter eius intemperantiam res publica cepit detrimenta, imprimis vero sociorum fides est labefactata. Neque tamen Aristophani fidem habebimus innumerabilia Cleonis animi sordidissumi exempla afferenti: qui quum non tam Cleonis, quam demagogi cuiusdam imaginem adumbrare vellet[3]) neque illum magis imprudentem temerariumque quam improbum duceret hominem, factum est, ut eum et rapacitatis accusaret et civium aliis obtrectasse aliis, ut eorum animos sibi conciliaret, beneficia praestitisse cum rei publicae incommodo diceret. Eiusmodi autem crimina non confirmat Thucydides, quum hoc maxume a poëta differat, quod Cleo ei non est improbus, sed imprudens.[4] Itaque errant recentiores iudices, qui non inventa demagogi laude apud Thucydidem, quales videantur poëtae comici calumniae, nihil curent.[5] Quidam tamen vituperationi laudem immiscuerunt, velut Roscher:[6] aber es leuchtet trotzdem eine kraftvolle Persönlichkeit und viel gesundes Urtheil aus seiner Rede hervor, wie es denn freilich vom Nachfolger des Perikles nicht anders zu erwarten ist; nimius in laudando est Droysen: omnium maxume nescio an probetur cuivis, quod Grote proposuit iudicium. Veteres omni Cleonis laude abstinuerunt praeter Diodorum et schol. ad pac. 681: *Ὑπέρβολος μετὰ τὴν τοῦ Κλέωνος δυναστείαν διεδέξατο τὴν δημαγωγίαν· ἀπ' αὐτοῦ δὲ πρῶτον ἤρξαντο Ἀθηναῖοι φαύλοις παραδιδόναι τὴν πόλιν καὶ τὴν δημαγωγίαν, πρότερον δημαγωγούντων πανὺ λαμπρῶν πολιτῶν.* Qui etsi iusto magnificentius de demagogo statuit, tamen hic quum septem per annos rei publicae vehementissumis procellis turbatae gubernacula teneret, sine controversia ea et imprudentia et improbitate carebat, quam multi imputare ei consuerunt. Ac duae potissumum res Cleonis

---

[1]) III., 37. — [2]) Arist. eq. 61, 116, 997—1099. Roscher p. 216. — [3]) Roetscher p. 221. Wie Aristophanes in der politischen Welt zwar viele als unnütze Bürger, Sykophanten, Feiglinge, Prahler, Lüstlinge, Betrüger u. s. w. mitnahm, alle diese, an den einzelnen Subjekten verspotteten Seiten aber in die eine concrete Gestalt des Kleon, als in einen Mittelpunkt, vereinigte: so hat er . . . — [4]) Grote III., p. 685. Den Kleon erwähnt Th. niemals, außer in Verbindung mit irgend einem Verfahren, das er als unklug darstellt. — [5]) Enumerat eos C. F. Hermann Gr. Staatsalterth. I. p. 479; adde Kock Einl. zu d. Rittern. — [6]) p. 158.

laudi obfuerunt: singularis illa Periclis praestantia et incredibilis ceterorum demagogorum nequitia. Hac effectum est, ut nimia cives de Cleone sperarent, illa ut haud ita raro demagogus alienorum vitiorum culpam sustineret. Et defuere propter admirationem Periclis ingenia, quae illi benedicerent, et inventi sunt, qui maledicerent factionum studiis agitati aut certe errore aliquo decepti. Quo in genere quanta audacia fuerit Aristophanes, et vidit et praeclare docuit Roscher:[1]) Um die Demagogen zu bekämpfen, wendet Ar. nicht selten wahrhaft extrem demagogische Mittel an. Uebertreibungen, Entstellungen, Verleumdungen der gehäßigsten Art scheinen ihm durch den Zweck geheiligt zu werden. So freimüthig er ist, so ist er doch sehr bemüht, es mit dem souveränen Volke, das einzelne Späße wohl ertragen konnte, nicht ernstlich zu verderben. Abgesehen also davon, daß er oft auf Zahlung des rückständigen Soldes dringt, trägt er sogar Projekte vor, die Tributstädte und Inseln unter die Bürger förmlich aufzutheilen. (vesp. 707) Bei den damaligen Umständen kein hübscher Spaß! Neque quidquam videtur audacius, quam ei, qui de opportunitate pacis cum hostibus faciendae ab optumatium factione ausus sit dissentire, proditae patriae ignominiam iniungere velle. Iam vero poëtae ex simultate, quae inter ipsum et demagogum intercedebat,[2]) quantum arbitrabimur accessisse odi? Itaque de Cleonis nisi humili genere imprudentia immoderatione rerum scriptoribus non est audiendus.

Restat, ut de Euripide disputatio in exiguum gyrum compellatur. Nam quum poëseos et Euripideae et ceterorum poëtarum natura cognationis vinculo quodam contineatur, de omnibus illius aetatis poetis uberius alio loco sic disseremus, ut ea tantummodo hic reponantur, quae arctissume cohaereant cum prosopographia Aristophanea. Erat autem tragoedus in eorum numero, quos Aristophanes ob neglectum maiorum morem et quod animi sui sensum pluris aestimarent quam legum auctoritatem, vehementer exagitandos censeret. Ut philosophiam Socraticam improbabat et Cleonis rationem rei publicae administrandae sic in poësi Euripidea multa inveniebantur, quae illius animum bellorum Persicorum tempora nimis admirantem[3]) exasperarent. Ac primum quidem a poëta tragico deos patrios aegre ferebat contemptos.[4]) Quorum cultum quum eruditioni humanae, qualis tum erat, non satisfacere intellexissent, et philosophi et Aeschylus atque Sophocles ad ἀλληγορίαν confugerunt, ad dubitationem Euripides[5]) vere Socraticus.[6]) Deinde violatam ab hoc iurisiu-

---

[1]) p. 333. — [2]) Meineke hist. cr. II., 2. p. 932 seq. — [3]) ran. 718—37. 1015. 1025 seq. 1072 et passim. — [4]) Thesm. 450: τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς. ran. 888—94 cf. Roscher p. 216. Eine zügellose Demokratie ist zur Anerkennung unsichtbarer Mächte im Ganzen wenig geneigt. Auch hier begegnen wir dem Euripides wieder, der freilich von jeher dem Zeitgeiste mehr gehorcht, als geboten hatte. — [5]) Adfert eius dubitationis exempla Th. Kock ad ran. 890. Neque tamen E. est accusatus ἀσεβείας, id quod de Anaxagora eius praeceptore accepimus. — [6]) ran. 1443—44 et 1491.

randi, [1]) coniugi multarumque virtutum civilium sanctitatem [2]) non poterat non videre. Tum quod reges mendicos, scelera mulierum, loquacitatem, argutias in scena exhibendo rempublicam prorsus pessumdedisset, non iniuria querebatur. [3]) Quid, quod sophistarum disciplina minus afferre videbatur damni? Non deleniuntur imperitorum animi ratiocinatione, at facillume carminum quamvis veritati adversariorum illecebris. [4]) Postremo stomachabatur Aristophanes ob dignitatem tragoediae imminutam. Etsi enim Euripides, poëtae quid sit muneris interrogatus, *βελτίους ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν* respondet, [5]) tamen tantum abest, ut civibus virtutis viam commonstraverit, ut non solum improbos verum etiam, ut vulgo probaretur, humiles illiberalesque exhibuerit spectandos. [6]) Et probatur multis propter sententias forenses. [7]) Neque curat, quid intersit, [8])

. . . . divusne loquatur an heros,
Maturusne senex an adhuc florente iuventa
Fervidus, et matrona potens an sedula nutrix,
Mercatorne vagus . . .

Imitatur deterrumum quemque poëtam. [9]) Ubi locus est varietati fervori furori, languet, [10]) exurgit sermo inepto saepe loco. [11]) Haec et alia tragoediae damna prologis, [12]) canticis, [13]) rhythmorum et modorum varietate, [14]) argutiis [15]) resarcire sic studet, ut argumentum fabulae facile obscuretur [16]) Musa severa gaudeat farragine nescio qua sententiolarum, pro fato illo Aeschyleo nodos solvat aequo saepius deus ex machina. Eaque quo iure castigaverit Aristophanes, documento sunt poëtae ipsius fabulae: confirmat Aristoteles, [17]) praeterquam quod

---

[1]) Thesm. 275. ran. 101 - 2 c. adn. Kock. 1471. — [2]) In Aeolo frater sororem uterinam stuprat. cf. nub. 1371 seq. ran. 1043—44. 1050—51. 1080 - 82. Thesm. 871 - 927. Aleatores ab eo in scenam inducuntur ran. 1400 c. schol. Etiam apud inferos suam artem grassatoribus, crumenisecis, patricidis, parietum perfossoribus probat ran. 771—78 — [3]) ran. 1043—1088. 840—42. — [4]) cf. ran. 1053—55. — [5]) ran. 1010. — [6]) 936—989 et passim. — [7]) nub. 1377. Achar. 394—484. Eius fabulas eis, qui se ad agendum comparaverint, legendas censet Quint. X., 1. — [8]) ran. 1058—61. — [9]) ran. 1301 seq. — [10]) Languidissumi sunt prologi: vid. ran. 1200—1260. — [11]) ran. 1329—64 et quae adnotavit Kock. — [12]) ran. 1119 seq. — [13]) ran. 1250 seq — [14]) Vide exempla ran. 1314 et 1348. cf. Gr. Metrik von Rossbach und Westphal III. Vorrede p. 28. Euripides ist reicher an metrischen Stilgattungen. aber im Ethos weniger streng als Sophokles. cf. p. 121. 158. 167. 250. 440. in primis p. 456 et 526. — [15]) 956 seq. Hic qui viderit gradationem ternorum verborum, non leget nec vulg. *ἐρᾶν* nec Theodori Kock *δέρειν*· scribendum est potius *περᾶν*, siquidem *τὸν τεχνάζοντα* non magis exteriora quam interiora cognoscere decet — poëtice et metaphorice *στρέφειν, περᾶν.* — [16]) Achar. 443 — [17]) Ars poët. 13,10 *καὶ ὁ Εὐριπίδης, εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλα τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται*· adde 13, 9 et 26,11.

Euripidem describenda infirmitate humana ceteris poëtis minus abstinentem non vituperavit, sed *τραγικώτατον τῶν ποιητῶν* appellavit. Ac licet non negemus, more comico multa nimis auxisse Aristophanem, velut quum Euripidem etiam apud inferos cum perditissumis hominibus inisse societatem diceret [1]) eundemque perstringeret, quod prologis omnibus una eademque clausula subici posset, [2]) tamen non immerito huic ille aptissumus est visus, quem quasi auctorem quendam ac principem iam senescentis tragoediae et sublimitatis et dignitatis notaret vel mortuum [3]) Sed plerisque aequalium in deliciis fuisse tragoedum irrisum docet fabula illa ab enarratoribus vitae adlata de Syracusanis, qui multos Atheniensium versibus Euripideis iniquam sortem suam deplorantium libertate donaverint. Diversissuma vero posteri sequebantur iudicia: quo maiore ille ab admiratoribus suis laudum praeconio efferebatur, eo acrius ab iis quibus contraria sententia probaretur, exagitatus est. [4]) Eorum tamen nemo poëtae nec ignobile genus [5]) nec odium hominum imprimisque mulierum [6]) tetigit. Unde Aristophanes hanc ridendi materiam petierit, iam non licet mandari hisce pagellis: videbimus alio loco.

Et quoniam id agebamus, ut multum interesse inter poëtas et historiographos probaremus, huius dissertationis in fine Aristotelis praestantissumi antiquitatis philosophi, sententiam exhibere non alienum videtur. Ac pertinet huc: [7]) '*Φανερὸν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων, καὶ ὅτι οὐ τὸ τὰ γενόμενα λέγειν, τοῦτο ποιητοῦ ἔργον ἐστίν, ἀλλ' οἷα ἂν γένοιτο, καὶ τὰ δυνατὰ κατὰ τὸ εἰκὸς ἢ τὸ ἀναγκαῖον· ὁ γὰρ ἱστορικὸς καὶ ὁ ποιητὴς οὐ τῷ ἢ ἔμμετρα λέγειν ἢ ἄμετρα διαφέρουσιν· εἴη γὰρ ἂν τὰ Ἡροδότου εἰς μέτρα τεθῆναι καὶ οὐδὲν ἧττον ἂν εἴη ἱστορία τις μετὰ μέτρου ἢ ἄνευ μέτρων· ἀλλὰ τούτῳ διαφέρει, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν τὸν δὲ οἷα ἂν γένοιτο· διὸ καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησις ἱστορίας ἐστίν. ἡ μὲν γὰρ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἡ δ' ἱστορία τὰ καθ' ἕκαστον λέγει.* Inde poëtas historicis plane dissimiles in rebus diiudicandis aciem mentis a consuetudine oculorum abducere patet. Fieri autem potest, ut quae cogitantur non discrepent ab iis, quae sunt. *τῶν γὰρ γενομένων ἔνια οὐδὲν κωλύει τοιαῦτα εἶναι, οἷα ἂν εἰκὸς γενέσθαι καὶ δυνατὰ γενέσθαι.* [8]) Praeterea, nisi rerum ratione habita, non cogitamus. Quocirca nunquam est dubitatum, petere illustrandae rerum memoriae lucem a poëtis imagines inanes mirantibus. Ne comoedia quidem est repudiata. Sed quum multi in omnia magistri verba quamvis ludicra iurarent, factum est, ut oppido memoria turbaretur. Nunc quidem homines docti perspexerunt, non posteris Aristophanem docuisse fabulas, sed aequalibus, quibus, quum ridendo diceret verum, non deesset facultas vera a fictis discernendi [9]:) iidem

[1]) ran. 771—78. — [2]) ran. 1119 seq. — [3]) Arg. ran IV. — [4]) Meineke hist. cr. I., p. 286—87. 313—24. 341. 357. 417. — [5]) ran. 947. — [6]) Lysistr. 283 c. schol. et Thesm. — [7]) Aristot. ars poet. 9. — [8]) ibid. — [9]) Weber Allg. Weltgeschichte II. p. 545. Indem die Komödiendichter die Gegenwart mit allen ihren Interessen und Irrungen, mit ihren

tamen errarunt comoediae vim publicae opinionis ac censurae morum adsignantes. Non utebantur veteris comoediae poëtae ea moderatione, ut medium inter partes certantes cursum tenerent, immo factionum studiis sic agitabantur, ut non solum ingenio suo „acri ad iram“ indulgerent, verum etiam, quoad liceret, amicorum caussae opitularentur [1]) Quid, quod amicis saepe excedere videbantur honestum calumniarum modum? Aristophanes nonne est explosus, quum Nubes doceret? Ac maxume memorabile hoc est exemplum studiorum, quibus Athenienses sapientiam eiusque amicos coluerint. Ridet acerbe Aristophanes, nova philosophia multa in civitatem mala esse inducta opinans:[2]) errorem patitur Socrates: ceteri cives eam retinent severitatem, quae prorsus abhorreat et ab ipsorum consuetudine et a tempore! Aequales igitur facetiis poëticis se decipi interdum non sinebant: nos fugacis cuiusdam irae caussam fuisse alicuius civis scelera arbitrabimur? Serpebant sane tum multa per civitatem vitia, quae tamen non ad unum aliquem vel ad alteram duarum factionum pertinerent, sed ad omnes eos, quibus nomine alieno sua impune ostenderetur culpa. Et ea erat censura morum, ut quae certo quodam tempore insana viderentur in re publica, non singulorum hominum, indicantibus aliud nescio quid nominibus, nequitia perstringeretur: *συστήσαντες γὰρ* (poëtae comici) *τὸν μῦθον διὰ τῶν εἰκότων, οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασι, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ποιοῦσιν.*[3]) Ac probari hanc sententiam et Socratis et Cleonis imagine Aristophanea iam vidimus: neque videtur obscurum, cur rarius poëta a vero aberraverit ridens Euripidis poësim, cuius ceteram personam ad lubidinem esse descriptam alio loco docebimus. Sed etiam quum singulorum hominum imago qualis fuit talis expressa videtur, facillume fallimur. Namque *ἡ κωμῳδία ἐστὶν μίμησις φαυλοτέρων μέν, οὐ μέντοι κατὰ πᾶσαν κακίαν, ἀλλὰ τοῦ αἰσχροῦ, οὗ ἐστι τὸ γελοῖον μόριον· τὸ γὰρ γελοῖόν ἐστιν ἁμάρτημά τι καὶ αἶσχος ἀνώδυνον καὶ οὐ φθαρτικόν.*[4]) Vacant igitur imagines comicae iis

---

Widersprüchen und Verkehrtheilen umfaßten und in einzelnen bis zur Karricatur gesteigerten Erscheinungen und Zügen darstellten, alle hervorragendsten Persönlichkeiten im Staat und im bürgerlichen Leben von der lächerlichen Seite aufgriffen und sie mit witzigen, beißenden, mitunter niedrigen Worten und Gleichnissen züchtigten, führten sie die Zuhörer zum vollen Bewußtsein ihrer Zeit mit allen Gebrechen, mit allen krankhaften und unpraktischen Vorkommenheiten. — [1]) eq. 510 seq. — [2]) Bergk nuper attulit Asclepi in Aristot. metaph. p. 603 a 4 annotationem de *μικρολογίᾳ* ita agentis: *καὶ πάλιν ὅ φησιν ὁ Ἀριστοφάνης διαβάλλων τοὺς φιλοσοφοῦντας, ὅτι σπεύδουσι ἴχνη ψυλλῶν μετρεῖν, τῶν δὲ ἄλλων καταφρονοῦσι — μισῶ δὲ καὶ Σωκράτην τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην, ὃς τῶν ἄλλων μὲν πεφρόντικε, πόθεν δὲ φάγῃ, τούτου κατημέληκεν — ὡς τῶν ἐν τῷ βίῳ ὄντων μειζόνων.* Comic. dictionis index comp. Hen. Jacobi I., p. 88. Hic non afferri veram caussam, cur Socrates sit irrisus, quis non videt? — [3]) Arist. ars poet. 9, 5. — [4]) ibid. 5. 1. cf. 2, 1 et 7. — 4, 12.

partibus, in quibus nihil sit cospicuum viti. Vitia autem poëtae non solum naturalia indagantur, verum etiam quae ipsi quasi pepererunt aut veritatis superlatione aut distortione membrorum aut peculiari versuum undique collectorum interpretatione aut nimia obedientia famae et amicorum ad ridendos adversarios propensorum. Itaque considerati erit illorum temporum iudicis edolare speculum, quo res ab Aristophane nimis auctae suum recuperent modum, instrumentumque, ut membra distorta revocentur ad ordinem, quaerere haud dissimile Lacedaemoniorum *σκυτάλῃ*. Quo in negotio non utetur scholiastarum nugis quasi *παταχείᾳ* quadam: grammatici doctoresque umbratici erant, quibus vita humana parum esset curae.[2]) Adferunt tamen raram rerum scriptoribus utilitatem fusius ac copiosius exponentes de iis rebus, quarum extrema quaedam lineamenta aliunde cognoveris.


---

